QUAESTIONES

DE REDUPLICATIONE GRAECA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE


IN UNIVERSITATE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ADOLFUS RICHARDUS FRITZSCHE

LIPSIENSIS.



LIPSIAE

TYPIS EXPRESSIT I. B. HIRSCHFELD.

CIϽIϽCCCLXXIII.

Duplici modo in voces duplicatas inquiri potest, aut ita ut formas maxime spectemus, aut ut significationes explorentur. Sed quamvis magni sit momenti ut statuatur de rationibus significationum quas praebent verba et nomina Graeca intensiva causativa[1]), iterativa durativa, imitativa, quaecunque radicis duplicatione ficta sunt, tamen id non satis possumus assequi eam praecipue ob causam, quia nominum duplicatorum maximum numerum non exquisivimus radicitus; sexcentarum igitur rerum cur duplicata sint nomina non erit qui dicat. In significationes autem verborum duplicatorum inquirendi initium fecit Gerlandus: „Intensiva und Iterativa und ihr Verhältniss zu einander.“ Leipz. 1869, qui persuasum habet linguae indogermanicae quae vocatur non fuisse verba intensiva sed iterativa tantum priusquam lingua sanscrita latina rell. inde orerentur; quem cur falsum esse putem in libelli fine exponam. Quae difficultas radicum cognoscendarum etiam in eo quod conati sumus in varias vocum duplicatarum formas investigare, magno fuit impedimento; multorum enim et nominum et verborum quae

---

[1]) Verbis desiderativis duplicatione fictis lingua graeca videtur carere; nam duorum verborum *τιτίσκομαι* telum intendo i. e. ferire (*τυχεῖν*) cupio et *ἀποδιδράσκω* de quo cf. Buttm. A. Gr. II^2, 302, vis desiderativa videtur orta esse inde quod vi intensiva auctum est verbum incohativum. Reliqua autem verba desiderativa graeca e futuri stirpe coorta sunt: *γελασείω*.

duplicationis speciem praebuerunt num revera sit duplicatio non habui qui dijudicarem. Quare praestare videbatur illa omittere quam vocum absque dubio duplicatarum magno numero magnum incertarum numerum addere: quod praesertim opus fuit in re etsi haud quaquam abscondita tamen hucusque tam paullum tractata. Nam in duplicationem graecam praeter Döderleinium (Reden und Aufsätze, II) unus accuratius inquisivit Lobeckius Pathologiae graeci sermonis elementorum capite primo, quod est de prosthesi et aphaeresi (p. 151 sqq.). Accedit Hainebachii „De graecae linguae reduplicatione praeter perfectum dissertatio scholastica", quae prodiit Giessae 1847. Sed priusquam ad rem ipsam accedamus juvat pauca monere de materia universa disponenda.

Duplicationis omnis quin origo fuerit ea ut integrae radices bis ponerentur non est dubium. Quare a principio eadem ejus fuit ratio ac postea verborum geminationis; animi enim vel admiratione vel gaudio vel dolore commoti semper fuit eas voces subinde edere quibus quod quis sentit effertur. Unde et iterativa durativaque duplicationis vis intelligitur et intensiva ac quae inde crevit causativa; nec non magnus et antiquissimus duplicationis usus: qui quam late pateat per universum genus humanum doctissime exposuit Pottius: Doppelung als eines der wichtigsten Bildungsmittel der Sprache beleuchtet aus Sprachen aller Welttheile", Lemgo u. Detmold 1862. In indogermanica autem lingua quam antiqua duplicatio sit elucebit ex ipsis vocibus haud paucis (§. 5). Nam duplicationis donec nullum erat a verborum geminatione discrimen, verisimile est radices geminatas inter se fuisse aequales. Sed postquam qui loquebantur senserunt radicis bis positae unitate monada quasi novam esse ortam, radices geminae non omnes manserunt integrae, sed pars a fine mutila facta est jam prius quam lingua primaeva incepit radicibus addere terminationes (cf. §. 5). Longe major vero pars posteriorem syllabam exhibet integram, priorem autem aut auctam aut imminutam. Unde

duo efficiuntur duplicationis genera, quorum hoc quidem dicamus praefixum, illud suffixum. Praefixae autem duplicationis genera tria distincta sunt: *aequabile* (*μέρμερ-ος*), *auctum* (*κω-κύ-ω*), *imminutum* (*τι-ταίνω*). Quorum generum secundo et tertio indicatur quodammodo priorem syllabam quasi praefixam esse, in posteriore autem syllaba ipsam vocis vim esse positam; neque desunt vestigia quibus indicetur earum quoque vocum quarum duplicationem aequabilem vocavimus priorem partem attenuatam esse: de quibus vestigiis mox dicemus. Suffixae duplicationis his opposita sunt genera duo: ea quam dicimus *inversam* (*ὀπ-ίπ-ας*), et duplicatio *infracta* (*πόρ-π-η*).

CAPUT I. DE DUPLICATIONE PRAEFIXA.

§. 1. DE DUPLICATIONE AEQUABILI.

Omnium verborum et nominum duplicatorum antiquissimam formam servarunt ea quorum radix integra repetita est, eis tantum mutationibus, quibus ob facilitatem pronuntiandi opus fuit, ut sunt consonae tenues in priore syllaba pro aspiratis positae et *ο* vel aliae vocales[2]) pro genuino *υ* repetitae. Quam duplicationem vocavimus aequabilem, quia et vocali et consonis omnibus repetitis radicis partes fere libratae sunt inter se. Neque eo minus hanc quoque in duplicationis praefixae generibus habemus, quia leviores prioris partis imminutiones ne ab hoc quidem genere alienae sunt. Cujus rei tria sunt vestigia.

1) Vocalium dissimilationis causa prior tantum mutatur: *μορ-μύρ-ω*, *γερ-γύρ-α*, *κῖ-κυς* (cf. *Μιτυλήνη* et *Μυτιλήνη*, Curtius Grundzüge[4] 708), vel prioris syllabae vocalis

---

[2]) *κι-κυ-μίς* cf. R. *φυ φῖ-τυς; Κέρ-κυρ-α* cf. *βδίλλω: βδελ-υ-ρός; Κόρ-κυρ-α* cf. R. *τυρ τορ-ύ-νη.* Quorum dissimilationis generum trium antiquissimum est tertium, quod videtur ortum esse cum *υ* a lat. *u* pronuntiatione nondum sejunctum erat.

attenuatur: ἔπ-οψ; consonarum autem dissimilationis eadem est lex: πορ-φύρ-ω.

2) Nonnunquam formae libratae et imminutae una extant: βα-βά-ζ-ω ἐμ-βι-βά-ξ-αντες, τά-τα τέ-ττα, γαρ-γαλ-ίζω γαγ-γαλ-ίζω, ταρ-ταρ-ίζω ταν-θαρ-ύζω.

3) Testimonio sunt perfecta quae dicuntur attice reduplicata ea quorum radix non tota repetita est: ὀδ-ώδυσ-μαι R. ὀδυς, vel correpta: ἐγρ-ήγορ-α R. ἐγερ. Quorum similitudinem sequuntur ἀγ-αγύρ-της, ἴβ-ιβύ-ς.

A.

Dicemus autem de eis primum radicibus, quae in vocalem desinunt.

βα-βά-ζ-ειν· τὸ (suppl. μὴ) διηρθρωμένα λέγειν. ἔνιοι δὲ βοᾶν. (Hesych.) videtur idem esse atque βάζειν, aucta tamen vi. Cujus verbi originem non recte docuit Benfejus (Griech. Wurzellexicon II, 62) nec Grassmannus (Kuhnii Ztschr. 12, 93), qui scr. *bha* (gr. φη-μί) interpretationi adhibuit: cui recte adversatus est Curt. G.[4] p. 520. Βαβάζω autem non esse formatum ut ἑδ ἕζω vel ῥεγ ῥέζω, sed ut βα βι-βά-ζ-ω, conicimus ex aliis nonnullis glossis Hesychianis: βά-βα-λο-ν· κραύγασον Λάκωνες. βά-βα-κ-α· τὸν γάλλον. βά-βα-κοι· ὑπὸ Ἠλείων τέττιγες, ὑπὸ Ποντικῶν δὲ βάτραχοι. βά-βα-ξ (Archil. fr. 33 Bergk)· μάταιος. λάλος. φλύαρος. βα-βά-κ-της· ὀρχηστής. ὑμνῳδός. μανιώδης. κραύγασος. βα-βά-ξαι· ὀρχήσασθαι (scil. cum clamore). Attamen nulla forma simplicis verbi βάζω extat, e qua eluceat radicem ejus non in γ desivisse (βάξω ἔβαξα βάξις βάγμα: βαστάζω βάσταγμα βάστασις), et id solum constat, βά-βα-λο-ν, βά-βα-κοι, βα-βά-ζ-ω, si quidem, ut videtur, ex una stirpe nata sunt, e R. βα nata esse: radicem enim non esse βαβ, ut vult Fickius Indogerm. Wörterb. ed. 2. p. 131 (cf. βαμβ-αίνω infra) elucet ex Hipponacteo (fr. 53 B.) ἐμ-βι-βά-ξαντες. De βαβύζω, βαβίζω autem, quae huc refert F., v. Steph. thesaur. s. v. βαΰζω.

βη-βή-ν· πρόβατον (Hes.) nomen est ex ovis voce

(*bee* Varr. r. r. 2, 1, 7) fictum. Cratin. fr. V, p. 40: *ὁ δ' ἠλίθιος ὥσπερ πρόβατον βῆ βῆ λέγων βαδίζει.*

κα-κκά-ζ-ειν· τὰς ὄρνις τὰς πρὸς τὸ τίκτειν φθεγγομένας Ἀττικοί. κα-κκά-βα· πέρδιξ Hes. (de suff. cf. *κόλος κολοβός*), unde *κακκαβίζω*. Scribitur autem *κα-κά-βη* quoque et *κα-κά-μβη* (Lob. ad Phryn. 427). De *κ* geminato cf. *κόκκυξ* infra.

κι-κυ-μίς noctua (Callim. fr. 318 et Hes.). *κί-κυ-μος· λαμπτήρ. ἢ γλαυκός. ὁμοίως καὶ κί-κυ-βος. κι-κυ-μώσσειν· δυσβλεπτεῖν. κι-χυ-βεῖν· δυσωπεῖν. νυκτιλωπεῖν* Hes. Quibus collatis, ni fallit nos glossographus, radicem accipimus *κι-κυ*, cujus vis *non* fuit vociferandi. *Κίκυμος* enim et *κίκυβος* (cf. *ὄχθο-βος*) non id tantum valuisse quod *γλαυκός*, sed id quoque quod *γλαῦξ*, elucet ex eis quae inde derivata sunt verbis, quae significant noctuinis quasi oculis videre. Quare fallitur F.[2] 439, qui confert *cuculus*, vocem utramque onomatopoeia fictam ratus: nam a noctuae notione reliquae (*γλαυκός. λαμπτήρ*) proficisci nequiverunt. — Simplicem radicem *κυ*, *ι* enim pro *υ* dissimilationis causa positum est, fortasse praebet *κυ-μίνδις* (Ξ 291), quam eandem avem esse vult Schol. Ar. Av. 262, et *κυ-βήνη* i. q. *γλαῦξ* (? *κυβήναις· γλαῦξαις* (sic) Hes.).

κι-κύ-ω· ταχύνω, ἰσχύω, quod e Zonarae p. 1215 exscripsit Suidas s. v. *κικυμώττειν* (cf. Bernh.), contrariam duplicationem praebere suspicatus est Curt. Gr.[4] 149. 708 pro **κικίω* [cf. *διδίω* (?) *καὶ κικίω* (?) *δεδιπλασίασται ἀπὸ τοῦ δίω καὶ κίω* Arcad. p. 164, 19] dictum, duplicationem autem verbo causativam vim tribuisse [v. *κι-κ*, *ἔκιξαν* §. 5 A]. Sed id primum constat *κικύω* i. q. *ἰσχύω* non sejunctum esse a *κῖκυς* robur, cujus radix est *κυ* (C. Nr. 79), scr. *çu*, unde *çav-as* robur; praeterea autem nemo nescit linguam Graecam bina *ι* consonis divisa minime aspernari. Extremi autem temporis grammaticorum (accedunt Choerob. in Cram. Anecd. II, 229, 31 et Et. Gud. 321, 53) testimonia ex uno fortasse fonte deprompta tantine sunt, ut duo verba *κικύω* statuamus? Neque erit qui dicat *κῖκυς* velocitatem signi-

ficasse praeter Eustathium et grammaticos illos antiquos, quorum ratio earum rerum nulla erat praeter literarum similitudinem (*κί-ω*), qua sola *ταχύνω* illud nititur, ni forte hymni quoque in Ven. versus 237 suadebat, collato v. 234; sed *est* *κῖκυς* i. q. *δύναμις* (Hes.), probante *ἄκικυς* adjectivo et ratione etymologica.

κο-κκό-αξ· κορώνη nomen est ad vocis similitudinem fictum, nisi Hes. indicare vult: *κορώνης ἐπιφώνημα.*

κο-κκο-βόας ὄρνις legitur Soph. fr. 900 D., ubi Bothii correctura non opus fuit.

κό-κκυ, κο-κκύ-ζ-ω, κό-κκυ-ξ (gen. *-ῡγ-ος*) eodem modo puto duplicata esse atque *κα-κκά-ζω, κο-κκό-αξ, μά-μμα, νά-ννας, πά-ππα-ς, πο-ππύ-ζω* etc. Nam qui statuunt radicem *κυκ*, inde *κοκ-κυκ*, *κ* in *γ* mutato *κοκ-κυγ*, unde *κοκκύζω* et amisso *κ* *κόκκυ* (C. Gr. Nr. 66), longiorem viam incedere videntur. *κο-κυ* enim duplicatum indicatur latino *cu-cu-s*, *cu-cû-lus* palaeoslav. *ku-kav-ica*, cf. lit. *ku-kŭ-ti* cuculi vocem edere (F.[2] 44), quae omnia coorta sunt ex cuculi vociferationis imitatione; *κυκ* autem radicem (duplicatione ortam, v. infr. s. v. *καυκαλίας*) ne duplicatam putemus (*κοκ-κυκ*) vetat quod in lingua graeca eae tantum radices integrae geminantur, quae aut a vocali incipiunt aut in vocalem vel *ρ* vel *ν* desinunt, de qua re mox dicemus.

κο-κύ-αι ea quam tradidit Hes. significatione *οἱ πάπποι, οἱ πρόγονοι,* cf. *κοκύας· ὁ πρόγονος, λέξις ἰακή* E. M., legitur Anth. 9, 312 in carmine dorico et apud poetam ignotum (*κοκύῃσι . . . ἀρχαίῃσι*) quem laudat Suid. s. v. At eodem videntur spectare *κουκᾶ* (*-ν* e *κοκυᾶν* epenthesi ortum? an *κουκ-ᾶν* = *κυκ-ᾶν* boeot.?)· *πάππων* Hes. (qui addit *ἢ κυκεῶνα*), *κυκοίας· προγόνους* id., fortasse *γυγαί· πάπποι, γυγαίη νύξ· ἡ σκοτεινή* (an *ὠγυγίη*?). Quare quod Fickio placuit[2] 207, qui scr. *kav-i* (vir sapiens, proavus) confert, haud quaquam constat.

κο-χύ· πολύ. πλῆρες Hes. radicis est *χυ* (*χέω*). — *κοχυδεῖν· ὑπερέχειν. κοχυδεῖ· ῥεῖ ἰσχυρῶς καὶ μετὰ ψόφου καὶ*

λάβρως id. — cf. ἱδρώς μευ κοχύδεσκεν Theocr. 2, 107. κοχύζειν Strattidi tribuit Meineckius II, 788.

κου-κού-φα-ς Horap. Hierogl. I, 55 „upupa, vel, ut aliis videtur, noctua, vel ciconia", id quod scr. *kukkubha* esse vult F.[2] 44.

κύ-κυ-ον· τὸν σικυόν. κυκύιζα· γλυκεῖα κολόκυντα Hes. — Mirum est quod υ vocalis bis subinde auditur, cujus rei pauca tantum exempla extant: γλυκύς, τανυστύς, μυρμύρω? (Hes.).

λα-λά-ζ-ω ad garruli vel balbutientis vocem (scr. *lalallâ*, cf. μηδ' ὥστε κῦμα πόντιον λάλαζε Anacr. fr. 90) imitandam fictum est. λαλά-ξαντες· βοήσαντες, λά-λα-γ-ες· χλωροὶ βάτραχοι Hes. — λά-λλα-ι, quod legitur Theocr. 22, 39, Hes. recte dicit esse τὰς παραθαλασσίους καὶ παραποταμίους ψήφους. — λάλ-ος v. infra.

μά-μμα, μάμμη, μαμμα-ία, lat. *ma-mma*, lit. *ma-ma*, *mo-mà*, palaeosl. *ma-ma* mater, palaeogerm. *mô-mâ* (*muomâ*) matertera (F.[2] 386) vox est infantium, quam simplicem praebet Aesch. Suppl. 890 μᾶ γᾶ (Buttm. A. Gr. I[2], 214 not.) et μαῖα.

μι-μί-ζ-ω hinnire, μι-μι-χ-μός [cf. μύ-ζ-ω (ἔμυσα) μυχμός]. — Cf. μιμάξασα· χρεμετίσασα. φωνήσασα Hes., ubi Maur. Schmidt videtur haud recte conjecisse μιμίξασα: μι-μα enim antiquiorem radicis formam fuisse indicatur sanscrito *mi-mâ-ti*, *mî-ma-ti*, e cujus radice *ma* attenuatum ortum est *mi* (*mi-mî-tê*), unde *maj-a*, *maj-u*, *maj-ûra* Lex. Pet.

νά-ννα-ν· τὸν τῆς μητρὸς ἢ τοῦ πατρὸς ἀδελφόν, οἱ δὲ τὴν τούτων ἀδελφήν. νάννη· μητρὸς ἀδελφή Hes. cf. νεννός· ἀδελφός (matris? M. S.) id., Pollux autem: νέννος· μητρὸς πατήρ. — νίννη C. I. 1994. — Quae omnia ejusdem vocis infantium sunt cujus scr. *nanâ* mater, quod et ipsa significationum varietate probatur et Hesychiano νάνναζον· παιζόμενον (παῖζον?). — Lat. *nonnus, nonna*?

πά-ππᾰ (voc., ζ 57), πά-πα-ς C. I. 2664 et Hes., pater, unde παππάζω et πάππος, avus, est vox infantium. Cf. lat. *pa-ppa* (Varr. ap. Non. p. 81, 3) et quod idem significat

pa-pa-rium i. q. puls [patrem (Papam) enim ecclesiastici tantum scriptores eadem voce (graeca) nuncupant]. Quare falluntur qui *pa* (tueri) radicem huic voci tribuunt (F.[2] 118); nam quod *πατήρ* (R. *pa*) et *πάππας* ambo *πα* syllabam exhibent factum est inde quod parentes infantem docuerunt ea quam edidit voce *πάππα* patrem (*μάμμα* matrem) significare ob syllabarum similitudinem.

πι-πί-ζ-ω· κατὰ μίμησιν τῆς τῶν ὀρνέων φωνῆς Hes. (cf. *σπί-ζ-ω*, *σπί-νος*) Ar. Av. 307 geminato *π* (*πιππί-ζειν*) legitur. — Lat. *pī-pi-are*, *pī-pi-o(n)*, scr. *pi-ppî-ka*. *Pipizo* substantivi, quo Hieron. ep. 22, 28 pipionem significavit, non reperitur Graecum archetypon. *πῖπ-ο-ς* infra tractabitur.

πο-ππύ-ζ-ω, *ποππυ-λι-άζω*, *poppyzo* (verbum latine vertere nec debuisse nec potuisse Vergilium judicat Gell. 9, 9), *ποππυσμός*, *πόππυσμα* ex interjectione quadam orta sunt. v. *πυππ-άζειν* infra.

σι-σι-λι-γ-μός (Schol. ι 394) et *σι-σι-λι-σ-μός* (Eust.) idem est ac *σιγ-μός* (Aristot.) vel *σι-σ-μός* (Suid.), quae sunt verbi *σί-ζ-ω*, sibilare. — (**σισιλίζω*). — cf. *σι-σί-λαρος·* πέρδιξ. Περγαῖοι Hes.

τά-τα (Anth. 11, 67), *τέ-ττα*, pater, cf. scr. *tâ-ta*, lat. *tă-ta*, lit. *te-ta*, palaeosl. *ta-ta*, palaeogerm. *to-to* pater, *to-tâ* mater, deminut. scr. *tâ-ta-la*, lat. *ta-tu-la*. Voces germanicae cur Grimmii legem non sequantur facile perspicitur.

τῑ-τί-ζ-ω, quod Zenodotus Homero tribuere voluit (Schol. B 314) est eam vocem edere quam ludens significavit Aristophanes: *τιτιτιτιτιτιτιτιτίνα λόγον* etc. (Av. 315). *τι-τυ-βίζειν* fortasse dissimilatione mutatum est ne tria ι subinde audirentur [**τιτι-βος* (cf. *κακκάβη*) = scr. *titti-bha*].

Τι-τυ-ός Gigas nomen duxit e radice *τυ* (C. Nr. 247), scr. *tu*, tumere, robustum esse, e qua creverunt scr. *tuv-i* et quod idem fere significat *ταΰς·* μέγας. πολύς (et *ταΰσας·* μεγαλύνας) Hes. — Cf. scr. *tû-tu-ma* abundans, et quod ille in Orco *ἐπ' ἐννέα κεῖτο πέλεθρα* λ 577.

B.

In eis vocibus duplicatis quae a vocali incipiunt non est quod commemorem, nisi quod ea quoque vocabula huc retuli quae ad atticae duplicationis verborum nonnullorum similitudinem (*ὀδ-ώδυσ-μαι*) non integram stirpem praebent duplicatam, sed priorem tantum ejus partem.

ἀγ-αγύρ-την· ἀγύρτην Hes. — R. *ἀγερ* (aeol. *ἀγυρ*, *παν-ήγυρ-ις*) *ἀγείρω*, unde *ἀγύρτης* (*ἔστι δὲ καὶ ὁ συναγείρων ὄχλον* Hes.) nomen accepit. Cf. *ἀγυρτάζει· συλλέγει*, ... *ἀγείρει* Hes. et ejusdem reliqua quae ab *ἀγυρ-* incipiunt.

ἀγ-αυγ-ή παρὰ τὸ αὐγή E. M. (*οἷον, Ἀπόλλωνος ἀγ-αυγ-ή*). — Fortasse *ἀπαυγή* (*ἡ ἔκλαμψις* Suid.) legendum est.

ἀκ-ακ-αλ(λ)ίς· ἄνθος ναρκίσσου. Κρῆτες. κακαλίς· νάρκισσος Hes. — *ἀ* prostheticum?

ἀκ-άκ-η-τα Mercurii cognomen Döderleinius (Hom. Gloss. Nr. 199) *sanantem* (*ἀκεστήν*, *ἀκ-έομαι*) significare putat, longe melius quam qui *κακός* *ἀ* privativo instructum stirpem esse somniantur. *θεραπευτικόν* autem significari dicit etiam Schol. *Π* 785; cf. *Ὦ Φοῖβ' ἀκέστορ* Eur. Andr. 900.

ἀκ-ακ-ί-α, acacia, est planta spinis hirsuta. — (R. *ἀκ*, cf. *ἄκ-ανος*, *ac-uo*, Benf. W. I, 159.)

ἀκ-αχ-ίζω, dolore (*ἄχ-ος*) afficere (causat.). — *ἀκαχῦναι· ἀνιᾶσθαι* Hes.

ἀλ-αλ-ά, antiquitus pugnantium exclamatio, postea significavit clamorem bellicum (i. q. *ἀλ-αλ-η-τός*, *-τύς*). Unde ductum est *ἀλ-αλ-ά-ζ-ω*, *ἀλαλα-γ-ή*, *-γ-μός*, *-γ-μα*, et **ἀλἀλᾶν* videtur indicari Hesychiano *ἀλαλητά· τεθορυβημένα*. — Scr. *(a)rê*, *ar-ar-ê*, palaeosl. *ol-e*, bulg. *ol-el-ê* F.[2] 14; „das Kriegsgeschrei des Indogermanischen Volkes" Gerland. — Cf. *ἐλελεῦ* infr.

ἀλ-άλ-αγξ· ἡ πλάνη Hes., cf. *ἀλάομαι* R. *ἀλ* (C. Gr.[4] 546).

ἀλ-ἀλ-υγγι, quod legitur Nic. Alex. 18 (*κακῇ ἀλάλυγγι βαρῦνον*), etsi videtur id esse quod *πνιγμῷ, ἀπορίᾳ, δυσπνοίᾳ*, quid sit non liquet. (= *ἀλυσμός*? cf. *ἀλαλύσθαι· φοβεῖσθαι. ἀλύειν* Hes. et *γεγώνησις, γεγήθησις* etc.)

ἀπ-αφ-ίσκω (*ἤπ-αφ-ον*) e palpandi notione (*ἅπ-τ-ω, ἁφ-ή*) decipiendi vim accepisse conjecerunt Buttm. Gram. II² 117, Lob. paral. 45, Curt. Temp. et Modi 157 [cf. lat. *palpare, palpo(n)*], cf. autem F.² 425 (*ἅπτω* „*knüpfen*" unde „*bestricken*"). — De ratione interpretandi licet ambigere.

ἀρ-αρ-ίζειν (*ἐπὶ κυνῶν, ἀπὸ τῆς ἀρ φωνῆς* Ammon. 138) est iterare literam caninam, quod idem significatur verbo *ἀῤῥάζειν*. — (*ἐῤῥέξομαι· φθέγξομαι* Hes.?)

ἀρ-άρ-ισκε, aor. *ἤρ-αρ-ον* e R. *ἀρ* (C. Nr. 488) orta sunt, cui duplicatio vim causativam dedit (*ἀραρίσκω* = scr. caus. *arpayâmi*). — *ἀρ-αρ-ινοί· ὅσα παρασφηνοῦνται λιθάρια εἰς τὰς ῥαγίδας* Hes.

ἐλ-ελ-ίζω (*ἐλελεῦ* = *ἀλαλά*), *τῷ Ἐνυαλίῳ* Xen. An. 1, 8, 18. Idem de lusciniae querimoniis usurpavit Eur. Hel. 1111 et eisdem fere verbis usus Ar. Av. 213.

ἐλ-ελ-ίζω, verto, corusco, concutio. De cujus verbi significatione accuratius disseruit Buttm. Lexil. I⁴, 130, ex *ἑλίσσω* natum statuens. Fickius contra (²169 et KZ. 19, 252), putat radicem esse *λιγ*, collatis scr. *rêǵ-atê*, got. *laik-an* saltare. *ε* igitur vult esse id quod Pottius vocavit prostheticum. Sed etiamsi missum faciamus quod reliqua verba duplicata vocali prothetica carent omnia, tamen id imprimis obstat, quod e vibrandi (*rêǵ*) vel saltandi (*laik-an*) notione nasci non potuit significatio volvendi (*περὶ δὲ σχεδίην ἐλέλιξεν* ε 314) et vertendi (*Ζ* 106. *Λ* 588). Quare praestat statuere radicem *ἐλ*, quae etsi digammatis nulla vestigia servavit tamen eadem fortasse est atque *ϝελ* illa, unde *ἑλίσσω* ortum est; — nam ut radices duas *ϝελ* et *λιγ* statuamus (C. Verb. I, 323) necessitate nulla videmur adstringi. — *ἐλελίχθημα· σεισμόν. ἐλελίστροφε· εὔστροφε, ὁλόστροφε* Hes.

ἐλελί-σφακον (-ος), genus quoddam ejus plantae quae vocatur *σφάκος*, salvia.

ἔπ-οψ, *up-up-a*, quae cantum edit *ἐποποῖ* Ar. Av. 58. — *ἔπ-οπ-ο-ς· ὄρνεον. ἀπ-αφ-ός· ἔποψ τὸ ὄρνεον* Hes. — *ποπ-ίζειν* (cf. *(ὀ)κ-ωχ-εύειν*, *(ὀ)π-ίπ-ας*) vocem upupae (Poll. 5, 89) Bekkerus injuria fortasse tentavit.

ἰβ-ιβύ-ς· παιανισμός Hes. est *ἰβύς· εὐφημία* (id.) duplicatum, quod ortum est ex *ἰύ* (*ἰϝύ*) interjectione, quam Lydorum esse vult Hes. s. v. *ἰβύ*, Ionum s. v. *ἰβυκηνίσαντες* (-ινη- cod.); cf. *ἰού, ἰοῦ, ἰώ.* — *ἶβυξ· εἶδος ὀρνέου κρακτικοῦ, ἐξ οὗ Ἴβυκος κύριον καὶ* (ex *ἰβύκη· εὐφημία* Hes., *ἰβυκηνο-*) *ἰβυκηνίσαι* E. M. — Ex *ἰβύειν* (*ἰβυ-j-ειν*) Hes. *ἰβύ-ζ-ειν* prodiit. De *β* ex *ϝ* nato cf. C. Gr.[4] 571.

ὀδ-οδυσ-ταί· ὀργισταί (quod nomen a lexicis nostris abest) Hes. fortasse *ὀδώδυσται· ὤργισται* legendum est.

ὀλ-ολ-ύ-ζ-ω, ululare, unde *ὀλ-ολ-υ-γ-ή*, *-γών* etc., est gratum dissimilationis exemplum. Radix enim est *ul*, lat. *ul-ul-a*, *ul-ul-a-re*, scr. *ul-û-ka* noctua, *ul-ul-i* ululabilis, ululatus, *ul-ûl-u* ululans, lit. *ul-ul-a* (F.[2] 25): Graeci autem cum duo *υ* subinde iterata aegre ferrent (p. 285), pro *ὐλ-υλ* dixerunt *ὀλ-υλ*, et adjecto *υ* suffixo *ὀλ-ολ-ύ-ς* (*γυναικώδης* Phot.), *ὀλολύζω*.

ὀτ-οτ-ύζω est vocem edere lamentantium *ὀτοτοῖ*.

Fortasse *ἀναίνομαι* quoque si recte explicatur a Buttmanno Lexil. I[4], 259 neque ab antiquissima *ἀν* praefixi forma *ἀνα* (*ἀνάγνωστος ἀνάεδνος ἀνάελπτος* C. Nr. 420) profectum est, huc referendum est.

C.

Linguae graecae et sanscritae in intensivis fingendis lex est ut radices eae quae et a consona incipiunt et in consonam desinunt nunquam integrae geminentur, ni consona altera aut liquida est aut nasalis.[3]) Excipiuntur linguae sanscritae duae voces: *badh badbadh*, *gad gadgad*, [cf. lat.

---

[3]) Quae ad ling. scr. pertinent v. Benf. Vollst. Gramm. §§. 168. 69.

„*mutmut* non facere audet“ Charis. p. 240, 27 (ed. Keil), graecae nulla. Uno enim παμφαίνω excepto *omnia vocabula graeca radicem praebent in ρ desinentem*, reliqua autem valde suspecta sunt. De κοκκύζω v. p. 8; de γογγύζω dicemus infra §. 5 A.; τέττιξ, quod e τεγ-τīγ radice ignota duxit Pottius II[1], 29, onomatopoeia fictum est neque alienum a τī-τί-ζ-ω. Earum autem radicum quae nasali terminantur quod praeter φαν (φαίνω) nulla quam novimus eam duplicationem praebet, accidit casu, cum his non obstet ea quae reliquis junctura absona. At de βαμβαίνειν, γαγγανεύειν aliter statuemus infra; de γαγγάμη (rete) autem et de δανδαίνειν (ἀτενίζειν. φροντίζειν. μεριμνᾶν Hes., ἐνδανδαίνειν id.) nihil jam constat. Eae deinde quae in λ cadunt radices omnes nasalem ejus loco acceperunt in priore syllaba: ταλ ταν-ταλ (v. infr.). — In ρ autem desinentium magnus est numerus:

βαρ-βάρ-α, emplastrum quoddam, vox fortasse non graeca.

βάρ-βαρ-ος et quae inde derivantur ad vocem balbutientium et peregrinorum imitandam sunt ficta; cf. scr. *bal-bal-â-karômi* balbutio, pers. *bar-bar* garrulus. — βαρ-β-ακίζειν infra §. 5 B.

βερ-βερ-ίζειν (βατταρίζειν· τὸ ἐν τῇ συνηθείᾳ βερβερίζειν E. M.) est idem quod βαρβαρίζειν (cf. γάργαρα γέργερα).

βερ-βέρ-ιον, quam vestem induit ὁ περιφόρητος Ἀρτέμων Anacr. fr. 21 Bergk, non est radicis *var* induere (Haineb. 9), sed si graeca est vox duplicatum fortasse est βέῤῥον· δασύ; cf. βειρόν· δασύ. βίῤῥοξ· δασύ. Μακεδόνες Hes., quod e βερ-jον (non βερσον, F.[2] 475) natum esse oporteret.

βόρ-βορ-ος, coenum, R. incerta. Nam quod confert Benf. W. II, 142 βρῶμος (Diosc. βορβορίζειν stercus olere) vi discrepat, cum Batr. 228 rana vocetur βορβοροκοίτης et ὑποβορβόριον (Hes.) sit ἡ τρύξ.

βορ-βορ-ύζειν, βορβορυγμός, βορβορυγή (ποιός τις

ἦχος, ὃν καὶ κορκορυγὴν καλοῦσιν Hes.) ejusdem radicis vel fabricae sunt cujus βάρβαρος, fortasse βόρβορος.

γαρ-γαλ-ίζειν, γάργαλος, γαργαλισμός, -λιγμα, titillare, sunt radicis γαλ (v. γαγγαλίζειν §. 3 A.).

γάρ-γαρ-α (pl., ψαμμακοσιογάργαρα Ar. Ach. 3) copia, unde γαργαίρειν plenum esse (Schol. l. l.), idem est ac γάρ-γαλ-α· πολλά et γέρ-γερ-α· πολλά Hes., radix autem eadem fortasse ac verbi ἀγείρω (C. Verb. I, 306).

γαρ-γαρ-ής· θόρυβος Hes., cf. γάραβος· ὀλολυγών id., et γῆρυς. — scr. *gar-gar-a* lyra. (γίγγρας infra.)

γαρ-γαρ-ίζειν, gargarizare, γαργαρεών uvula, R. *gar* = βορ (C. Nr. 643), cf. scr. *gar-a-s* βορός, *ni-gal-gal, ava-ǵal-gul* devorare, part. *ǵar-gur-âṇa;* lat. *gur-gul-io*? Id quod scr. *gar-gar-as* gurges, vortex est γέρ-γερ-ος· βρόγχος Hes., duplicatione infracta *gur-g-es.*

Γάρ-γαρ-ον, Troadis promontorium, nuncupatum ἀπὸ τοῦ γαργαρίζειν καὶ ἀναδιδόναι τὰ ὕδατα (Schol. *O* 48) quod commendatur ipso Homeri loco: Ἴδην δ' ἵκανεν πολυπίδακα, μητέρα θηρῶν, Γάργαρον κτλ.

γαρ-γάρ-ται· λίθοι αὐτοφυεῖς Hes. post γάργασις.

γερ-γέρ-ιμος caducus, scr. *ǵar-ǵar-as* mollis, R. *gar,* γερ senescere (scr. *ǵaran* = γέρων).

γερ-γέρ-οψ· ζῶον Hes.

γερ-γύρ-α· ὁ ὑπόνομος, κυρίως δι' οὗ τὰ ὕδατα φέρεται τὰ ὄμβρια . . . . . ζήτει εἰς τὰ Γόργυρα· ὁ δὲ Ἀλκμὰν (fr. 132 B.) διὰ τοῦ ε γεργύρα (E. M.). — γορ-γύρ-α· ὑπόνομος, δι' οὗ τὰ ὕδατα ὑπεξῄει Hes. γερ-γύρ-α· αὐλή. δεσμωτήριον id., quod γαργαρίζειν conferre vetat.

κάρ-καρ-οι· τραχεῖς. καὶ δεσμοί (Hes.), scr. *kar-kar-a* durus, R. *kar* durum esse, cf. κάρ-νον, *carina* et καρ-κ-ίνος rell. §. 5 B. Cum Hesychius addat καὶ δεσμοί, fortasse κάρ-καρ-α quoque huc pertinet, quod idem inter alia mendosa interpretatur ἔνιοι καὶ τὰς μάνδρας[4]), et κάρ-

---

[4]) Reliquis quoque quae in glossae mendis delitescunt durities indicatur: οὖλα ὀδόντων et πίτυρα (v. κέγ-χρος infra).

καρ-ον sing., quod *carcerem* significat apud Sophronem (Phot.); non autem γοργύρη quod confert Leo Meyer Gramm. I, 418. — καρ-καρ-ίς· ξύλων ἢ φρυγάνων φορτίον. ἢ δεινή (l. δέσμη) Hes. (ligna *dura?*) Ejusdem R. est q. seq.

κάρ-χαρ-ος, asper, acutus, idem est quod κάρκαρος. Qua in re ni fallimur, forma testimonium est aspiratae e muta ortae *praeeunte* liquida (κόρκορος κόρχορος infra), cujus rei exempla desiderat C.[4] 491 sqq. Sed fuerunt qui suspicarentur hujus vocis eandem radicem esse ac verbi χαράσσω (Benf. W. I, 203). Quos adjuvat quod κάρχαρος et quae inde manaverunt saepe acutum significant, quin mordacem: καρ-χαρ-ίας piscis rapax, κάρ-χαρ-ος ῥήτωρ mordax orator; ἅρπην μακρὴν efficiunt καρχαρόδοντα (Hes. theog. 180) eo quod idem dicit Op. et dies 573 ἅρπας χαρασσέμεναι. At duo sunt quae obstant: δίψῃ καρ-χαλ-έοι (Φ 541) siti asperi, vocabulum hoc solo Homeri loco positum, saepius autem apud posteriorum temporum poetas repertum eadem ac κάρχαρος potestate (ubi καρχάρεος v. l. extat): κάρκαρος igitur et καρχαλέος significatione, κάρχαρος et καρχαλέος forma inter se cohaerent. Alterum est quod verbi χαράσσω radix, quam Benf. χαρ esse voluit, minime eruta est; cf. ταράσσω R. τραχ (ταραχή θράσσω τέτρηχα). Quare videtur praestare prior sententia, cum facile intelligatur qui *acuti* vis e *duri* notione orta sit: κάρχαροι· οἱ ἔσχατοι ὀδόντες, τραχεῖς τε καὶ ὀξεῖς Hes.

καρ-καίρειν uno tantum Iliadis loco legitur, Υ 157: κάρκαιρε δὲ γαῖα πόδεσσι ὀρνυμένων ἄμυδις. De cujus verbi vi dubitant Scholl.: ἐκραδαίνετο. ἐσείετο. ἐψόφει, et Hes.: κάρκαιρε· ἰδίωμα ἦχου. καρκαίρει· ψοφεῖ. ἐκάρκαιρον· ψόφον τινὰ ἀπετέλουν, sed ἐκάρκαιρεν· ἐπλήθυνεν, qua glossa licuisset Lobeckio (El. I, 174) niti γαργαίρειν conferenti (nec non ejusdem glossa καρκώ λάμια (i. q. γοργώ) quamvis haud multum efficiatur Hesychianis ad ejusmodi consonarum vicissitudinem probandam). Videtur autem rem expedire ipse Hesychius: κάρ-αβος (-γος cod.)· ὁ τραχὺς ψόφος, οἷον πριόνων (cf. γαργαρής = γάρ-αβος), unde

R. apparet *καρ* (cf. vernaculum *hal-len*, scr. *kar-kar-i* quod videtur lyram significare.)

Κέρ-κῡρ-α et *Κόρ-κυρ-α*, R. *κυρ, κυλ*, unde *κυρ-τός, κύ-κλ-ος*, insula *rotunda*. — Cf. *Κυρ-ήνη*.

κορ-κόρ-ας· ὄρνις. Περγαῖοι (Hes.) vox fortasse non graeca. — Scr. *krakara* (perdix) aut ex **karkara* natum est *r* consonae metathesi (cf. palaeosl. *klo-kol-ŭ, gla-gol-iti*) aut est radicis *kra-k*, *κρε-κ* §. 5 B. *κερ-κόρ-ωνος* nomen avis indicae.

κορ-κορ-υγή strepitus bellicus (cf. *κορ-ύγης· κῆρυξ. Δωριεῖς* Hes.), *διακορκορυγεῖν* usurpatum de crepitu ventris. *κόρ-κορ-ος· εἶδος ἰχθύος*, cf. *πεπραδίλη* (infra §. 3 F.). Etiam scr. *kar-kar-î* et palaeosl. *klo-kol-ŭ*, lit. *kan-kal-as* campana (F.[2] 36) huc refero, vel potius ad omnia quae huc pertinent: nam et *καρκαίρω* et *κορκόρας* et reliqua videntur ejus radicis *kar* esse de qua dicemus s. v. *κρίκε* §. 5 B.

κόρ-χορ-ος (Theophr.), planta quaedam, Ar. Vesp. 239 *κόρκορος*; utramque formam Hes. exhibet. Bene monuit F.[2] 1058 quod ejusdem plantae genus quoddam (corchorus olitorius) sanscrite vocatur *kakkhaṭa-patraka* (*kakkhaṭa* (durus) = *kar-kar-a, patra* = *πέταλον*), unde elucet plantam a duris foliis nomen accepisse (cf. *κάρκαρος κάρχαρος*).

μάρ-μαρ-α· λαμπρά Hes. R. *μαρ*, cf. *Μαῖρα* i. q. *Σείριος*. Accedit *μαρμάραι· αἱ τῷ ἐρυθροδάνῳ βεβαμμέναι*. Unde nomen *marmor* accepit, *μάρμαρος*, qua voce Homerus quidem magnum cujusque generis lapidem significat, reliqui autem *τὴν λευκὴν λίθον* (Hes.). Propagata sunt inde *μαρμαίρω, μαρμαρύσσω, μαρμαρυγή*.

μέρ-μερ-α ἔργα i. e. *φροντίδος ἄξια* (Hes.), *πολυμέρ-μερ-ον· πολυμέριμνον* id., *μέρ-μηρ-α* cura sunt radicis *μερ*, unde *me-mor*, *μέρ-ιμνα*. Activa autem vi *μέρμερος* est id quod *πανοῦργος*, cf. *μερ-μηρ-ικοί· οἱ πειραταί* Hes., unde fortasse *Μέρμερος* appellatus est Ili pater (*α* 259) [cf. *Μάρμαξ* p. 298]. *μερμαίρω* (Orph. Arg. 766) nisi ab ipso poeta fictum antiquam radicis formam (cf. *μάρ-τυς*) servavit.

Unde librarii vitio prodiit *μερμέρω* Hes., quod graecum esse non potest.

μορ-μορ-ίων. — Lapis quidam significatur mormorionis nomine (Plin.), quod nomen videtur graecum esse quamvis a libris graecis desit.

μόρ-μορ-ος· φόβος Hes. et *μορ-μορ-ύττειν μορ-μολ-ύττειν* terrere ad *μορ* radicem redeunt, cujus in reliquis linguis ig. nulla sunt vestigia; nam quod Benf. W. II, 39 contulit lat. *murmurare* (*μορμύρω*) est alienum. Neque enim ulla quae huc pertinet vox significat susurrando terrere, sed forma et specie: *μορ-μολ-υκεῖα· τὰ τῶν τραγῳδιῶν προσωπεῖα. μορ-μ-όνας· πλάνητας δαίμονας* Hes., *μορ-μορ-ωπός* Ar. Ran. 925, neque *ο* vocalis in utraque syllaba usurpatae est ratio; *μύρ-μ-ος· φόβος* (Hes.) autem e *μόρμος* ortum est (*μόρ-μ-οι· φόβοι κενοί* id.). Et nihili est quod Hes. interpretatur *μορ-μύρ-ει· ποιὸν ἦχον ἀποτελεῖ, ταράσσει, πλημμυρεῖ, δεινοποιεῖ*, in etymologicis periclitatus; prorsus enim refutatur *μορμολύττομαι* et *μορμύρω* verborum usu. — *μόρμορος καὶ μορμυραία* (?)· *φόβος* Hes. — *μορμώ* rell. §. 5 A.

μορ-μύρ-ω murmuro. — Praeter sanscritam linguam omnes *u* vocalem hac in voce exhibent: lat. *mur-mur, mur-mur-are;* palaeogerm. *mur-mur-ôn, mur-mul-ôn* (*mur-mor-ôn mur-mer-ôn mur-mel-ôn*), scr. *mur-mur-a* ignis crepitus, *mur-mur-â* fluminis nomen; lit. *mur-m-ù* dupl. infracta; ex sanscrita autem lingua accedit: *mar-mar-a* murmur. Hesychii *μυρ-μύρ-ων ἢ μορμύρων· ταράσσων* haud magni est cum H. ipse indicet *ἢ* particula se de priori forma dubitare.

Περ-πέρ-ης n. pr. — *Per-per-na*? — *Περ-περ-ηνή* Troadis urbs. Cf. *Πάρ-ις* (i. q. *Ἀλέξανδρος*, cf. zend. *par* pugnare, scr. *pâr-aja* resistere)?

πέρ-περ-ος *per-per-us*, *περ-περ-εία* *per-per-itudo*, *περ-περ-εύομαι* nugari mirum est quod apud infimae tantum aetatis scriptores leguntur, quamquam e lingua latina non deprompta, testibus vocibus derivatis [cf. *βαβύρτας* infra §. 3 H.].

πορ-φύρ-ω, aestuare, R. *φυρ* (C. Nr. 415). Ex aestuandi autem notione crevit ea quam praebet *πορ-φύρ-εος* (*aestuat ignis* Virg. Georg. 4, 362) et *πορ-φύρ-α*. — cf. *φύρω* misceo.

ταρ-ταρ-ίζειν (*τὸ ῥιγοῦντα πάλλεσθαι καὶ τρέμειν*), *Τάρ-ταρ-ος*, R. *τερ*, *τρε-σ* (*τρέω*, terr-eo). — *ταν-θαρ-ίζειν* v. infra §. 3 A. Etiam *ἀτάρτηρος* huc revocandum esse censuit Benfejus („sehr erschrecken machend", W. II, 253) probante L. Meyer Gramm. I, 419, negligens Hesychianum *ἀταρτᾶται· βλάπτει* (-*εται*?). *πονεῖ. λυπεῖ*, unde elucet *ἀταρτη-ρός* eodem modo atque *ἀτη-ρός* fictum esse. (Quod voluit Lob. El. I, 162 *ἀταρτηρός* ex *ἀτη-ρός* duplicatione natum esse, probari non potest.)

τορ-τυρ-όμενον· νιφόμενον libenter ab Hesychio accipio M. Schmidtio nescio cur suspectum. Nam simplicem quoque radicem graeca lingua exhibet: *τύρ-βα* (adv.), *τύρ-βη* *tur-ba*, cf. scr. *tur*, cujus part. *tar-tur-âṇa* legitur in libris Rig-Vedae. Quo verbo haud inepte significatur *συρ-μός νιφετῶν* Anthol. 7, 8, 4 (R. *συρ* = *τυρ*, *σύρ-βη* = *τύρ-βη*). Cf. quod palaeoscand. *drifa* nivem significat, ductum a verbo *drifinn*, got. *dreiban* (Haineb. 9).

Quibus subjungimus unum verbum cujus radix non in *ρ* desinit, sed in nasalem (*πάμπαν* autem, unde *παμπή-δην*, omittimus non e radice duplicata, sed ex accusativo geminato ortum):

παμ-φαν-άω et *παμφαίνω* quin e *φαίνω* duplicato progressa sint nemo dubitavit post Sylburgium, qui adj. *πᾶν* priorem esse partem putavit ignorans praeceptum regium quod vocatur Scaligeri (Lob. Phryn. p. 632). Inter *παμ-φανάω* et *φαίνω* eadem ratio intercedit quae inter tintinnare et tinnire.

D.

Tria sunt de quibus hucusque disputavimus radicum duplicatarum genera, quorum vicibus fungantur *βα*, *αρ*, *βαρ*.

Earum autem quae aut ab initio aut a fine consonis binis sunt praeditae, nulla integram duplicationem praebet. Quare de priore quidem genere infra dicemus, de eis autem quae in duas consonas desinunt quid statuendum sit melius apparebit cum in ejusmodi verbum inquisiverimus.

δαρ-δάπ-τ-ω idem est quod *δάπτω*, unde grammaticorum nonnullorum suspicio orta est priori syllabae *ρ* consonam extrinsecus additam esse ad **δα-δαπτω* intendendum (Passow Lex. s. lit. *ρ*), vel *π* consonae loco subrogatam (*δαπ-δαπτω*), cum *πδ* literae insociabiles sint (Lob. El. I, 159). Quorum mentionem non fecissem — *ρ* euphonicum enim est in priscae artis scrutis — nisi Buggius cum verbo illo nuper (KZ. 19, 427) comparasset scr. *ǵaṅ-ǵabh-jatê* (R. *ǵambh*)! — Neque id quod placuit Pottio (Doppelung 212), G. Curtio (Verb. I, 238) [*δαρ-δάπ-τ-ω* = R. *δαρ* (*ἐ-δάρ-ην*) + R. *δαπ* (*δάπ-τ-ω*)] videtur veritatis specie niti. Nullum enim extat certum duarum radicum in unam contractarum exemplum, neque casu accidit quod non graeca lingua sola nunquam, ut videtur, verbo verbum addidit componendo, sed linguae omnes indogermanicae, solis exceptis verbis auxiliaribus *as, ja, dha* (G. Curtius z. Chronol. d. Indogerm. Spr. p. 207). Cui legi non repugnant *στρέφε-, στροφο-, τροχο-δινεῖν, μαρ-αυγεῖν, ὀρ-αυγεῖσθαι*, quorum pars prior *nominis* vice fungitur. Neve sit qui haereat in *φαγέδαινα* substantivo, quod videtur duabus radicibus synonymis *φαγ* et *ἐδ* conjunctis idem significare quod altera radice bis posita *ἐδ-ηδ-ών· φαγέδαινα* Hes. vel simplex *φάγαινα· φαγέδαινα, νόσος φῦμα ἑλκῶδες νεμόμενον* (id.), sed duplicatum ad posteriorum scriptorum *ὁλόπασι* i. q. *παντάπασι* adverbii similitudinem, fictum autem eadem fere ratione qua *γαρέλαιον· γάρος καὶ ἔλαιον* Hes. Sed quod jam Lobeckius conjecit Prol. 35 *φαγέδαινα* femininam quasi formam esse nominis cujusdam **φαγ-εδών*, probatur collatis *τυφ-εδών τυφ-εδανός* et *λέων λέαινα, θεράπων θεράπαινα*, et eo quod Ar. Nub. 666 ludens finxit *ἀλεκτρύαινα*. — Quam ob causam praestat id quod protulit Haineb. p. 14, qui *δαρ-*

δάπτω e **δα-δραπτω* metathesi natum esse censet; *δράπτω* autem idem esse vult ac *δρέπω, δρέπτω* vocali genuina servata. Quocum fortasse facerem nisi aliud ejus metathesis exemplum desiderarem in verbis duplicatis; nunquam autem Graeci duplicationem metathesi obscurarunt.[5]) Quare id solum videtur restare ut censeamus *δαρ-δάπ-τ-ω* e **δαρ-δαρπ-τ-ω* ortum esse. *Δρέπω* enim natum est e R. *δρακ* carpere, unde *δρακ-ός· τῆς χειρός* Hes., *Δρέκ-ανον* (Coi insulae promontorium, Strab.) i. q. *Δρέπ-ανον*. Ejusdem autem radicis est *δάρκ-ες· δέσμαι* Hes. — Licet igitur haec inter se conferre: *Δρέκ-ανον* : *δάρκ-ες* = *δρέπ-τ-ω* : *δαρπ-τ-ω* (cf. *δάρπ-η· σαργάνη. κόφινος* Hes.?); *δαρ-δαρπτω* autem alterum *ρ* amisit quia displicuit interdum Graecis ejusdem literae liquidae repetitio. Quare *δρύφακτος* dixerunt pro *δρύφρακτος, Θριναкία* pro *Θριναкρία, θιπόβρωτος* pro *θριπόβρωτος* (Lob. Paral. p. 15 not.), etiam *φύγ-εθλον* pro *φλύγ-εθλον* (Pott. II², 778). E *δαρ-δαρ-π-τ-ω* igitur prodiit *δαρδάπτω*; id autem quomodo natum sit quaerendum est. Potuit sane et debuit R. *δαρπ* ita duplicari ut *π* consona omitteretur in priore syllaba; at fortasse alia ratio magis placebit. Radix illa *δαρ-κ* (*π*) crevit consona determinativa *κ* e radice *δαρ* (*δερ*), scr. *dar* scindere, lacerare (unde carpendi notio orta est: *δάρ-ιν· σπιθαμήν. Ἀρκάδες* Hes.). Quae radix determinata unius linguae graecae est, simplex autem *dar* praebent praeter ling. scr. et zend. palaeosl. *der-ą*, lit. *dir-ù*, got. *tair-an*, palaeog. *zër-an*; praeterea duplicatum *dardar* legitur in libris Rig-Vedae. Et si inde quod lingua graeca sola radicem determinatam praebet non licet conicere in ipsa lingua graeca fuisse ejus primordium (nam quae sit consonarum illarum vetustas nemo nescit), tamen comparatis aliis multis recentior ejus origo fortasse probatur. Quare haud alienum videtur suspicari *δαρ-δαρ-π-τ-ω* e radice duplicata *dar-dar* similiter ac *δαρπ-τ-ω* e *dar* ortum esse (*dar* : *δαρπ* = *dardar* : *δαρδαρπ*), consona de-

---

[5]) *ἐγεργεῖ* (Hes.) quod affert H., scribendum est *ἐγερτί*.

terminativa radici jam duplicatae addita. Quod ne audacius dictum videatur haec moneam.

1) Voces duplicatas eas quarum duplicatio integra est perantiquas esse elucet inde quod magnum numerum earum complures linguae praebent (cf. *βάρβαρος γαργαρής γαργαρίζειν γεργέριμος κάρκαροι κόρχορος* (*κάρχαρος*) *μέρμερος μορμύρω* all. supra); idem magis etiam perspicuum fit duplicatione infracta (§. 5 A).

2) Has autem radices antiquitus geminatas jam antiquissimis temporibus *novam quandam radicem* quasi simplicem effecisse docent duplicationis infractae formae haud rarae, quas ob ipsam illam unitatem mutilas evasisse prius quam lingua terminationes adderet radicibus, veri simile est.

3) Consonae determinativae alias quoque ad radices amplificatas accessere: *ἐγρ-ηγόρ-θ-ασι*. Cf. *φα-έ-θ-ω* cujus *ε* extat etiam in *φα-ε-σί-μβροτος*, *ὄλ-λυ-μι ὤλ-ε-σα ὀλ-έ-κ-ω*, *καλ-ί-ω καλ-ι-νδ-έ-ω* (*κυλίνδ-ω*); R. *ϝερ* : *ἕρκος* = *ἐρύω* : *ἐρύκω*. Paullulum differt si *αν* augmentum additur radici auctae: *ἀλύσκω ἀλυσκάνω*, *ἀμβλίσκω ἀμβλισκάνω*, *ὀφλισκάνω*, *ἐνριγισκάνειν· ἐνριγοῦν* Hes. (C. Verb. I, 259). — Etiam *ju-na-ǵ-mi* fortasse et reliqua verba sanscrita quae *na* syllaba aucta sunt consonam finalem determinativam radici addiderunt postquam *na* syllaba (e qua orta est nasalis: *ju-n-g-o*) accessit (*ju* : *ju-g* = *ju-nâ-mi* : *ju-na-ǵ-mi*)[6]): nam *a* vocalem post nasalem temere ortam esse nunc non erit qui credat.

Μάρ-μακ-ος Pythagorae pater et *Μάρ-μαξ* Hippodamiae procus nomina duxerunt e rad. *μαρκ*, *μαρπ* (C. Nr. 626) unde *μάρπ-τ-ις* latro, *βράξαι* et *μάρψαι* i. q. *συλλαβεῖν*, *βρακεῖν· συνιέναι* (Hes.). *Μάρμακος* igitur dictum est pro *Μαρ-μαρκ-ος*, *Μάρμαξ* pro *Μαρ-μαρκ-ς*, de qua

---

6) Quod quamvis non aeque quadret in omnes ejus generis radices, tamen spectare convenit quae exposuit Windisch KZ. 21, 407 sqq., praesertim postquam Fickius docuit quamquam non sine repetita audacia quantus numerus sit radicum consonis determinativis auctarum.

dissimilatione modo verba fecimus. Radicem autem illam *μαρκ* (tangere, capere) *κ* accepisse additicium elucet collatis his: scr. *mar-ç* = lat. *mul-c-ere* (*vi-març* = *βρακεῖν*); scr. *mar-k* laedere, lat. (intr.) *mar-c-ere*; scr. *mar-ģ* = *ἀ-μέρ-γ-ω*, *ὀ-μέρ-γ-ω*, *ὀ-μόρ-γ-νυ-μι*; scr. *mar-d* terere = *μέλ-δ-ω*, *ἀ-μαλ-δ-ύνω*. Unde apparet radix *mar* determinata cujus vis est mulcendi (*ἀ-μαλ-ός*) et terendi (cf. vernaculum *mahl-en*, *mal-m-en*), unde palpandi et animo comprehendendi notiones crevere, cf. *δυσ-βράκ-ανον· δυσχερές, δύσληπτον, δυσκατανόητον* Hes: Et hac quoque in radice fieri potuit ut consona determinativa accederet ad breviorem formam *mar* duplicatam (*mar-mar-k*), unde melius fortasse intelligeretur, cur prior syllaba *ρ* consonam praeberet (cf. autem quod ejusdem radicis est *Ma-merc-us*, quae osca Marci nominis forma fuit auctore Festo p. 130 b): sed videtur obstare quod hujus radicis consonae determinatrices variae et diversas significationes efficientes in compluribus linguis extant, duplicationis autem perantiquae solum videtur testimonium esse vernaculum *mal-m-en*, cujus est duplicatio infracta. Quare ut hic idem censeamus quod supra dubitanter, complura deficiunt indicia. — Nomina autem illa quid significaverint non habeo qui plane eruam: fortasse enim idem valent ac *Νοήμων* (*Ἰθακήσιος* *B* 386, *Πύλιος* *Ψ* 612), fortasse id quod *μάρπτις* (cf. *Μαρψίας* et *β* 71 sqq.).

ἀλ-αλκ-εῖν, aor. dupl., cf. *ἀλκ-ή*, *arc-ere*, quam radicis scr. *ar* (*ἀρ-αρ-ίσκω*, ved. intens. *al-ar-ti*) determinatione ortam esse fortasse recte suspicatus est Fickius[2] p. 1021. E cujus participio per *παρασχηματισμόν* factum est *Ἀλαλκομενεύς* (cf. *Ἰδομενεύς* *Δαμναμενεύς*) Jovis epitheton (E. M.), cujus feminina forma est *Ἀλαλκομενηίς* (cf. *Αἰοληίδι μολπᾷ* Pind.) [C. Gr.[4] 624].

§. 2. DE DUPLICATIONE AUCTA.

A.

A linguae graecae duplicatione aucta una lex aliena est quam lingua sanscrita praebet. In intensivis enim verbis sanscritis fingendis vocalis radicis non solum repetitur ut in perfectis: *bu-budh-ima*, sed *ă* vocali inserta simul augetur: (*b*(*a*)*u-budh-ya*) *bô-budh-ya* (*ô* = *ă* + *u*), R. *lih lê-lih-ya* (*ê* = *ă* + *i*), R. *gar gâ-gar* (*â* = *a* + *a*). Idem vocalis augmentum (*guṇa* vocant Indorum grammatici) sunt qui in duplicatione graeca nonnusquam usu venisse statuant, velut Gerlandus (p. 41), qui verbi *κηκίω* *η* ex *αι* ortum esse contendit. At dorica forma est *κᾱκίω* (Ahr. Dor. 140), radix autem videtur esse *καγκ* (*καγκ-ύλας· κηκῖδας* Hes.), productione suppletoria *κηκ* (cf. *νήδ-υμος* R. *nand* (scr.) gaudere, Hes. *ἄ-νανδ-ες· οὐκ εὐάρεστον* [?]), unde *κηκ-ίς*, *κηκ-ίω*. Neque de *δείδω δείδια δείδοικα δειδίσσομαι*, *δειδίσκομαι δείδεγμαι* eo modo est statuendum quo voluerunt Benf. I, 241, Leo Meyer KZ. 7, 199, legem illam sanscriticam graecae linguae tribuentes. Nam id primum spectandum est quod praeter illa verba aliud nullum extat quod ejusmodi duplicationis speciem praebeat; tum autem, quod radicum ipsarum natura alia quaedam ratio commendatur.

Priorum enim verborum (*δείδω* — *δειδίσσομαι*) radix est *δι*, timere (C. Nr. 268), unde *δι-κ* (*δειδίσσομαι* = *δει-δικ-jο-μαι*) crevit adjecta ea consona determinativa de qua disseruit Fickius[2] 975. E *δι* autem radice duplicata natum est *δείδω*, quod ex *δε-δι-ω*, *δε-δj-ω* prodiit epenthesi (*ἐνί εἰνί εἰν*). Praeterea autem *j* consona ante *ι* vocalem exorta evaserunt *δjι*, *δjι-κ*, quorum alterum eodem modo auctum ac *λιπ λειπ* (cf. *δεῖ-μα*) extat apud Homerum: *ἔδδεισεν* (cf. *περίδδεισα περιδδείσας ὑποδδείσας*) i. e. *ἐ-δjει-σεν* ea assimilatione mutatum qua *κριδδέμεν* (*κριδ-jε-μεν*) *κρίζειν* (Ahr. Aeol. 175). Formae *δjι* autem perfectum est *δε-δjι-α*, epenthesi *δείδια*; formae *δjι-κ* praesens duplicatum *δε-δjικ-*

jo-μαι δει-δίσσο-μαι, ejusdem perfectum *δε-δjοικ-α δεί-δοικ-α* (cf. *λέ-λοιπ-α*).

Reliquorum autem (*δειδίσκομαι δείδεγμαι*) eandem radicem esse atque *δείκ-νυμι δεικ-ανάομαι* verborum jam vidit Buttm. A. Gr. II², 144. Quorum radix est *δικ*, unde *δjικ* ea ratione prodiit quam modo exposuimus. *Δει-δίσκομαι* igitur e *δε-δjικ-σκο-μαι* factum est; *δεί-δεγ-μαι* autem perfecti haec est ratio: e radicis *δjικ* perfecto *δε-δjειγ-μαι* (*λιπ λέ-λειμ-μαι*) epenthesi prodiit *δει-δειγ-μαι*, inde autem *δείδεγμαι* ea longae vocalis et diphthongi praecedentis consonas binas correptione, quam exhibent att. *ἕζετο, ἑλληνίσθησαν* (C. Verb. I, 136), *κῆρυξ κήρῡκος*; hom. *κέ-σκετο* R. *κι*(*κεῖ-μαι*), ion. *ἀπόδεξις, ἕσσων, κρέσσων, μέζων*.

Neve sit qui putet cum Gerlando p. 185 *δειδίσκομαι* ex *δεδίσκομαι* ea *ι* vocali inserta nasci potuisse quam praebent *δαί-δαλ-ος, μαι-μά-ω*. Nam quam mire lingua egisset si *ε* vocalem ad perfecti ritum attenuatam rursus auxisset gravissimo in universa duplicatione augmento! — Quae si recte disputavimus,

κω-κῡ́-ω, lamentor, non idem est ac scr. *kô-kû-ja*, quod Fickius vult p. 44, *ω* fortasse ea ratione natum ratus quam suppeditant *μῶ-μος* (*μοϝ-*) ortum ex R. *μυ* (*ἀμύ-μων*), *ζω-μός* (*ζοϝ-*) ex R. *ζυ* (*ju-s*) vel *φώσκω* (*δια-* Herod. III, 86) i. q. *φαύσκω*. Nam quamvis utriusque verbi *ku* radix sit, duplicationis ratio est diversa: est enim *ω* illud simile vocis *κό-χυ* *ο* vocali pro *υ* dissimilationis causa usurpatae, sed ad duplicationis vim augendam productum (cf. scr. R. *tu*, aor. causat. *tû-tô-t, pur pûrpurantu* R. V.). Unde *κωκυτός* luctus et *Κώκυτος, ὅς δὴ Στυγὸς ὕδατός ἐστιν ἀποῤῥώξ* κ 514.

νη-νέ-ω (*ἐπ-ε-νή-νε-ον παρ-ε-νή-νε-ον* Hom., Ap. Rh., Q. Sm.) est idem quod *νέω* (cumulo). Quo in verbo editorum nullus secutus est Bekkerum, qui *ἐπ-, παρ-ενήεον* scripsit praeter auctoritatem librorum et poetarum alexandrinorum.

Praeter duo haec verba aliud nullum extat quod priorem syllabam exhibeat productione auctam, nam de *Δηλάντου*

πεδίον Theogn. 802 non assentior Gerlandio p. 186; τητάομαι autem, quod duplicatum esse voluit Leo Meyer I, 428, denominativum est τήτη substantivi, de cujus origine et forma certi nihil constat (sed cf. F.[2] 210); βωβύζειν Hes., cum natum videatur e *βομβύζειν (βομβ-έω,-υξ) non recte in duplicatis a G. Curtio (Verb. I, 323) enumeratum esse putaverim. Monendum autem est verborum eorum quae ι vocalem priori syllabae tribuunt, nonnulla hanc praebere similiter productam (cf. κῖ-κυ-ς πῖ-πί-ζω τῖ-τί-ζ-ω supra, μῖ-μέ-ομαι rell. infra).

B.

Plura autem sunt quorum syllaba posterior producta est (ἀκ-ωκ-ή). Quam duplicationem ne quis in duplicationis suffixae generibus habeat duo sunt quae moneam.

1) Primum est quod verba duo extant quorum prior syllaba simul est imminuta: ἰ-ωγ-ή ἰ-ω-ή, quibus indicatur *priorem* syllabam quasi additamentum esse.

2) Alterum est quod eae quae huc pertinent voces atticae quae vocatur duplicationis perfectorum similitudinem praebent. ὀμ-ώμ-ο-κα enim et ἐγρ-ήγορ-α [7]) secundae syllabae vocalem exhibent productam, qua re indicatur eam syllabam genuinam verbi radicem esse (cf. etiam τέ-θηλ-α rell.).

Quam alteram ob causam magis licet dubitare num vocalis productione illa major vocis vis revera efficiatur, quamvis collatis inter se ἀγαγεῖν et ἀγωγή hujus major vis esse videatur. ω autem vocalis, qua praesertim species illa efficitur, etiam perfectorum nonnullorum est: ἵημι ἀφέωκα ἀνεῶσθαι, πίπτω πέπτωκα (cf. πτῶσις), ῥήγνυμι ἔῤῥωγα

---

[7]) Qui cum Fickio scribunt ἐ-γρή-γορ-α falli videntur. Neque enim respiciunt ἔδ-ηδ-α ὄδ-ωδ-α ὄπ-ωπ-α perfectorum similitudinem, et putant perfecti syllabam duplicatam, ceterum tam levem ut augmenti speciem haud raro praebeat, vocalis productione augeri potuisse. ἀ-λή-λιφ-α ἐ-λή-λυθ-α ἐ-ρή-ριγ-μαι (ut scribit F.[2] 169. 394. 168.) autem perfectorum η vocalis tum carebit interprete.

(cf. *ῥώξ*), neque *ἐδωδή* gravius est quam *ἐδηδών*. — Mirum est quod nomina sunt vel e nominibus ortae omnes quae huc redeunt voces graecae (cf. scr. *aṭ-âṭ-jatê*, *aç-âç-jatê*).

ἀγ-ωγ-ός R. *ἀγ* (*ἀγ-αγ-εῖν*). — *ἀγωγή*, *-εύς*, *-ιμος* etc.

ἀκ-ηχε-δόν-ες· λύπαι Hes. R. *ἀχ* (*ἀκ-αχ-ίζω* supra). Cf. *ἀκ-ηχέ-δ-αται*. — Hesychianum *ἀκ-ήχ-ε-ται· ἀδημονεῖ* si praesens est irritum efficit quod modo statuimus; fortasse autem aut corruptum aut perfectum est ad *ὀρ-ώρ-εται* Homerici modum fictum; *ε* enim inserto opus fuit ut perspicua maneret forma.

ἀκ-ωκ-ή, cuspis, R. *ἀκ* acuo (*ἀκ-αχ-μένος*).

ἐδ-ωδ-ή, cibus, *ἐδ-ηδ-ών· φαγέδαινα*, R. *ἐδ* (*ἐδηδώς*).

ἐτ-ήτ-υμος i. q. *ἔτ-υμος*, R. *ἐτ* (*ἐτ-άζω*) C. Nr. 208. *ἐτέτυμος* (Hes.) corruptum est.

ἰ-ωγ-ή (ξ 533) est locus *ἔνθα κλῶνται τὰ κύματα καὶ ὁ ἄνεμος* (Schol. ad *ἐπιωγή* ε' 404), cf. *κυματ-ωγή* (Herodot.). Quam vocem esse radicis *ϝαγ* (*ἄγνυμι*) jam veteres grammatici recte senserunt (Lob. Elem. I, 73); cf. *περιώγανα· ἐπίσσωτρα*, *περιαγαῖς* (*περιάγνυμι*)· *καμπαῖς* Hes. — Digammatis (*ϝι-ϝωγ-ή*) nullum remansit vestigium.

ἰ-ω-ή, vox, R. *ἀϝ*, *ἄ-ημι* flare, *αὔ-ειν* vocare (C. Nr. 587). Licet autem dubitare utrum *ἰϝ-ωϝ-ή* an *ἰ-ωϝ-ή* scribendum sit, ea vocalis solius duplicatione, quam praebent *ἰ-άλλω ἴ-ονθος ἰαύω* (§. 3 G.) *ἰάσκειν* §. 6., got. *ai-aik* dixi, *us-ai-alth* inveteravi, *ai-auk* auxi.

ὀδ-ωδ-ή, *od-or*, R. *ὀδ* (*ὄδ-ωδ-α*) unde *ὀδ-ώδ-ης* adj.

ὀκ-ωχ-ή fultura (E. M.) et quod inde fluxit *ὀκ-ωχ-εύειν· ἔχειν. συνέχειν* Hes. sunt verbi *ἔχ-ειν*, de cujus p. pf. recte disseruit Buttm. Gramm. 1^2, 330. — *συν-οκ-ωχ-ή· ἡ σύμπτωσις* Hes. s. v. *συνοκωχότε* (sic); *συν-οκ-ωχ-ά· νόσος, λοιδορία, μάχη* (= *σύμπτωσις* Polyb. 1, 57, 7) id. Unde ortum est quo posterioris aetatis scriptores utuntur *κωχεύειν ἀνακωχή διακωχή κατακωχή* *ο* vocalis aphaeresi, et falsus est Fickius[2] 28 conferendo scr. *çank-atê*, lat. *cunctari*. Nam etiamsi minus dubia essent *κἀνακωχεύει* Soph.

El. 732, quod Cobetus correxit probante Dindorfio ad l., et *κωχεύουσιν* Soph. fr. 303 (ubi v. Dind.), tamen constaret *κωχεύειν* ex *ὀκωχεύειν* eodem modo natum esse ac *πίπας* ex *ὀπίπας* (§. 4). — Eandem vocalem productam praebet *συνωχαδόν*.

ὀπ-ωπ-ή, e cujus stirpe *ὀπ-ωπ-ο* prodiit *ὀπωπέω*, est radicis *ὀπ*, *ὄπωπα*.

ὀπ-ωφ-ᾶται· πέπρηται, οἰδεῖ Hes. hucne pertinet, an corruptum est, an supra afferendum fuit? Extat enim R. *ambh* (*nabh*, C. Nr. 403), cujus est *ὀμφ-αλός*, lat. *umb-ilicus*. Potuitne inde oriri *ωφ* productione suppletoria (*βωβύζειν* = *βομβύζειν* Hes.), unde nomen duplicatum **ὀπ-ωφ-ή* = *umb-o* quo redit *ὀπ-ωφ-ά-ομαι* praesens? Quam difficile sit respondere nemo nescit qui in sordibus Hesychianis unquam versatus est.

Haec sola novimus hujus duplicationis verba. Restat autem quod afferamus *μέρ-μηρ-α* (v. *μέρ-μερ-α* supra), cujus altera syllaba similem productionem praebet: non autem *ἀτάρτηρος*, quod falso interpretatus est Benfejus (v. *ταρ-ταρίζειν* supra). — *ἰτητέον* quod sunt qui in duplicatis habeant (Gerl. 181) recte interpretati sunt Lob. prol. 146, Fick[2] 430.

C.

Graecae linguae propria est alia quaedam ratio verba duplicata augendi: *ι* vocalis post genuinam radicis vocalem praeter *υ*[8]) in priore syllaba inserta (*δαλ* *δαί-δαλ-ος*, *πνυ* *ποι-πνύ-ω*). Quod augmentum prorsus est singulare, neque fuerunt adhuc qui rationem ejus assecuti sint.

Nihil enim probavit Savelsberg KZ. 21, 200 de eo quod statuit *ι* intensivo. Cui licuit afferre *βα-βαί* collato lat. *bâ*,

---

[8]) *υ* vocalis vice fungitur *ο* dissimilatione ortum, non autem *οι* ex *αι* assimilatione prodiit, ut vult L. Meyer I, 311. Similiter e R. *κυ* *κω-κύ-ω* natum esse supra vidimus.

et interjectiones reliquas quarum syllaba finalis eo quod additur *ι* sonum intentiorem accipit. At multum interest inter *πα-παῖ* et *παι-παλ-*. Falluntur etiam qui ut Leo Meyer I, 423 *dâ dhmâ* radicum sanscritarum intensiva *dê-dî-jatê dê-dhmî-jatê* (*ê* = *ăi*) [Benf. Vollst. Gramm. §. 87, not. 2] comparant; haec enim prioris syllabae diphthongum acceperunt *guṇa* augmento ejus quam syllaba altera praebet *i* vocalis attenuatae.

Nec quidquam efficitur allatis vocabulis *jêjunus têter* prorsus obscuris, neque Pottius (Doppelung p. 214) recte judicavit *παι-πάλλω* rell. *ι* inde accepisse quod assuevissent Graeci priori syllabae hanc vocalem tribuere (*τί-θη-μι*): cui suo jure jam adversatus est Gerlandus p. 42. Nam prorsus contraria vis est *ι* vocalis verbi *τίθημι* ei quod praebet *παι-πάλλω ι*; illo enim prioris syllabae gravitas imminuitur, hoc augetur. Accedit quod pars vix quarta vocum duplicatarum *ι* attenuatum exhibet.

Neque licet suspicari *παι-πάλλω* e *πι-παλλω* ortum esse *α* vocali more sanscritico inserta: mire enim lingua hac ratione a reliqua duplicatione aliena usa esset ut vocalis maxime attenuata rursus augeretur. Nec verisimile est *j* semivocalem, quae in fine plerorumque quondam audita est (*παι-παλ-jω μαι-μα-jω*), in priorem syllabam epenthesi quadam irrepsisse: nonnulla enim (*λαιλάπετος*, *δαίδαλος*) hac litera prorsus carent.

Jam vero videtur alicujus momenti esse, quod in intensivis sanscritis eis, quorum radices in consonas liquidas desinunt (Benf. Vollst. Gr. §§. 168. 169), saepe *i* vocalis inseritur: R. *dar dar-i-dar*, R. *pan pan-i-pan*, R. *kra(n)d* (*kan-krad*) *kan-i-krad*; quamquam haec litera nunquam post vocales invenitur et explicatione caret. Sed quamvis multum intercedat discriminis inter rationem sanscriticam et eam quam graeca lingua instituit, tamen non videtur absona suspicio ex uno fonte utramque profluxisse. Nam *i* illud in vocibus sanscritis insertum putare ob legem quandam euphonicam vetatur et eo quod eadem vocalis haud raro producitur

(Benf. l. l.) et eâ quae similiter nonnunquam videtur inserta esse vocali *a*, cf. *kaṭ-a-kaṭ-âja*, *kiṭ-a-kiṭ-âja*[9]), quam eandem reperimus productam: *ghan-â-ghan-as* (R. V.), multos interficiens (R. *ghan* interficere). *ḱar-â-ḱar-as* (R. V., R. *ḱar* ire) igitur et *sar-î-sṛp-as* (Vâǵ.-S., *sṛp* serpere) simillima fortasse ratione ficta sunt. Id autem quod lingua sanscrita post consonas solas eam *i* vocalem praebet, graeca non nisi post vocales, haud ita magni momenti esse apparet si respicimus formas nonnullas vedicas quas nemo hucusque videtur ad rem illustrandam ascivisse quamvis aptissimas: *dhu djut nu* radicum intensiva *dav-i-dhu*, *dav-i-djut nav-î-nu*. Nam *dav-i-dhu* (3. dual. *davidhv-atas*, part. *davidhv-at*, perf. *davidhâv-a* R. V.) ortum est e *dô-dhu* (part. *dô-dhuv-at* R. V.) i vocali post *ô* (= ău) inserta, cujus diphthongi altera vocalis (*u*) postea semivocalis facta est. Item *davidjut* (*-at* part., R. V.) e **dô-djut*, *navînu* e *nônu* (*-mas* 1. pers. pl.) prodivit. Unde elucet legem illam sanscriticam non semper fuisse ratam: augmentum autem illud quod in lingua graeca post vocales simplices haud raro auditur, videtur non multum recedere ab eo quod in lingua sanscrita non post consonas solum, sed post diphthongos quoque extare vidimus. — Quod res impedita sic haud quaquam expeditur me non fugit, quamquam linguae gothicae quoque duplicationem conferre possis: *têka tai-tôk*, *halta hai-halt*. Pottius quidem (KZ. 19, 32) putat *ai* literis eandem vocalem significari quam in voce *gaiainna* = *γέεννα*; sed adsunt testimonia primae syllabae productae: got. *haihait* enim idem est ac palaeogerm. *hîaz*, *faifah* i. q. *fîank*, quae e formis duplicatis, etsi non goticis, orta sunt. Apud Keronem autem (Graff 4, 898) legitur *(pi-)hei-alt* [*(be)hielt*], quod idem est ac got. *hai-halt*; *ei* autem literis semper diphthongus significatur in lingua palaeogermanica. Quare sit venia aequationi: got. *haihalt*: p.-g. *heialt* = got. *hail-s*: p.-g. *heil*. —

---

[9]) Si recte dispunxit F.[2] 36 neque scribendum fuit *kaṭa-kaṭâja* etc., cf. *ghuraghurâja kilakilâja kuhakuhâja makamakâja*.

Vocabula autem quae hunc in modum formata sunt haec extant.

δαί-δαλ-ος, artifex, R. δαλ findere, cf. got. *ga-til-s* aptus. Unde δαιδάλ-εος, δαιδάλ-λ-ω.

δαι-δύσσεσθαι· ἕλκεσθαι et δαδύσσεσθαι· ἕλκεσθαι. σπαράττεσθαι Hes. ad δοῖδυξ refert E. M. et falso interpretatus est F.[2] 95. — Got. *tiuh-an* recte fortasse confert Roscher Stud. IV, 199. — Primae syllabae vocalis est singularis.

δοῖ-δυξ i. q. ἀλετρίβανος unde ortum sit non constat. ἀναδοιδυκάζειν (cod. -δεδοικ-)· ἀναταράσσειν Hes., ἀναδοιδυκίζειν· ὀρχήσασθαι ἀσχημόνως id., ἀναδοιδυκίζει· ἀναταράττει E. M.

κοι-κύλ-λειν i. q. περιβλέπειν: κῦλα γὰρ τὰ ἐπάνω τῶν ὀφθαλμῶν Hes. s. v., cf. κύλα, κύλλια, κύλλαβοι = ὑπώπια, κύλλα· τοὺς ὀφθαλμούς id. Unde *Κοι-κυλ-ίων* N. pr.

λαι-λαμίς (?): cf. Hes. λαλαμίς· λαῖλαψ. ἀντὶ τοῦ λαλαμίς λαιλαμίς γράφουσιν.

λαι-λάξαι (?)· τὴν γλῶσσαν ἐξελεῖν. — λα-λάξαι· τὴν γλῶσσαν ἐξελεῖν Hes.

λαι-λάχ-ω (?)· τὸ ψοφῶ Zonar. ut ἰ-άχ-ω formatum videtur Hainebachio p. 4. — (λακ-εῖν?)

λαι-λάπ-ε-τος (Hes.), λαῖ-λαψ L. Meyer I, 423 ad lat. *rap-io* revocat, ita ut sit ἀνέμου συστροφή, quod suadet Arist. mund. 4, 15, non autem ἐρεμνή κελαινή epitheta Homerica. *Λαβρός* huc referre (Lob. El. I, 167) vel λαβ-εῖν (Gerl. 65) vetant λαι-λάπ-ετος et casus obliqui.

μαι-μά-ω est ejus radicis μα (μά-ο-μαι μα-ί-ο-μαι) cujus μέμαα, cui duplicatio similem vim addidit. μαιμά-εντι (-οντι?)· ἐνεργῶς κινουμένῳ, μαῖ-μα-ξ· ταραχώδης Hes., *Μαι-μά-κ-της* Iovis cognomen, *Μαι-μα-κ-τηριών*. — ἀμαιμάκετος unde eam quam exhibet significationem acceperit — si omnino hujus radicis est — nescio.

μοι-μύλλειν· θηλάζειν, ἐσθίειν, καὶ τὰ χείλη προσάπτειν ἀλλήλοις Hes. (τὰ γὰρ χείλη μύλλα προσαγορεύουσι Phot.) Meinekius Hipponacti restituit opportunissime fr. 80 B.

(μοιμύλλειν (μοι μῦ λέγειν cod.) ἰσχάδα). μ ο ι - μ υ - ᾶ ν autem (τὸ τὰ χείλη πρὸς ἄλληλα συνάγειν Hes., cf. Suid.: μυᾶν ἐστι τὸ τὰ χείλη πρὸς ἄλληλα συνάγειν, ὃ καὶ μύλλειν λέγεται) L. Dindorfio suasore (Thes.) a G. Dindorfio restitutum legitur Arist. Lys. 126. Quorum radix est μυ- (μύ-ω, C. Nr. 478); μοιμύλλειν autem prodiit aut e μυλ radice determinata (cf. μυ-δ, μύδ-ος, μύνδ-ος) aut e nomine quodam μοιμυ-λο (cf. ποικ-ιλο-, ποικίλλω).

π α ι - π ά λ - λ - ω i. q. πάλλω, π α ι - π ά λ - η i. q. πάλη sunt radicis παλ (σπαρ, C. Nr. 389) cujus σ servavit πα-σπάλ-η §. 3 B. Qua in voce ι ex sigma ortum esse vix crediderim. Obstat enim non reliquorum similitudo tantum, sed id quoque quod nullum extat ι e σ orti exemplum fiducia dignum. E pulveris (farinae) notione qui oriri potuerit ea quam praebent παιπάλιμος παιπαλᾶν elucet ex Arist. Nub. 260 λέγειν γενήσει τ ρ ῖ μ μ α, κρόταλον, π α ι π ά λ η.

π α ί - π α λ ο ς, -λόεις adjectiva ab eis de quibus modo diximus vocibus sejungimus, quia quid significent non plane elucet. Cf. δυσπαίπαλον i. q. δύσβατον (Hes.), δυσοδοπαί-παλα λάχη θεῶν Aesch. Eum. 387, παιπαλόεις (ὄρος, σκοπιή, ὁδός, νῆσος Hom.), sed πολυπαίπαλος αἰθήρ· πεποικιλμένος. ὁμαλός Hes.

π α ι - φ ά σ σ ω est radicis φα (φαίνω), sed non significat παιφάσσουσα (*B* 450) quod vult Hes. παντὶ φαινο-μένη, sed quod statuit Lobeckius Rhem. 105, celeres luminis motus et scintillationes. E παι-φα determinatum prodiit παιφα-κ (παι-φα-κ-j-ω), cf. μαιμα-κ, ποι-φυ-κ. Scr. *bhâs* qui conferunt negligunt quod ejus radicis aliud vestigium non est in lingua graeca.

π ο ι - π ν ύ - ω, anhelare, est radicis πνυ (ἀμ-πνύ-ω, πνέω); unde etiam ποι-πνυ-ός· θεράπων, ποι-πνύ-τροι-σι (?)· σπουδαίοις Hes.

π ο ι - φ ύ σ σ ω est forma intensiva radicis φυ spirare (φῦ-σα φυ-σά-ω, scr. *pu-pphu-sa* i. q. πλεύμων, *pu-pphu-la* flatus ventris) consona gutturali determinatae. Nam quod voluit Misteli KZ. 19, 120 ποιφύσσω id quod φῦσα

σ exhibere refutatur his: *ποιφύξω ποιφύξαι ποίφυγμα ποιφύγδην ποίφυξις.*

τοι-θορύσσειν· σείειν ab uno Hesychio accipimus. Cf. *τοι-θορύκτρια· ἡ τοὺς σεισμοὺς ποιοῦσα* id. — Quod M. Schmidtius confert *τονθορύζειν* i. q. *γογγύζειν* propter significationem alienum est. Potuitne radicis *θορ* (*θρώσκω*) duplicatione haec vis causativa prodire?

---

§. 3. DE DUPLICATIONE IMMINUTA.

A.

De vocabulis duplicatis eis quorum prior syllaba in consonam nasalem ab ipsa radice alienam desinit (*πίμ-πλη-μι*) quid statuamus profitemur mora nulla: habemus persuasum nasalem illam non esse *insertam* ad priorem syllabam intendendam, sed ex consona liquida attenuata ortam. Quod ne videamur temere contendere haec moneantur.

In eo quod omnes nunc censent[10]) priorem syllabam nasali *intentam* esse duobus nituntur indiciis, quorum alterum quidem e lingua sanscrita petitum est, alterum e lingua graeca. Nam in ipsa lingua graeca nasalis a multis putatur haud raro inserta esse ad radices intendendas (*ἔλαβον λαμβάνω*). Quae res quomodo in permultis ejusmodi vocibus revera se habeat nuper exposuit Joannes Schmidtius „Zur Geschichte des Indogermanischen Vocalismus" Jena 1871. Qui etsi id quod voluit linguam graecam nasali ad voces augendas omnino non usam esse non probavit (p. 115 not.) et quamvis videatur in nasales paullo acrius invectus esse, tamen id effecit ut monstraret voces illas nasali inserta *majo-*

---

[10]) Quod Bopp. V. Gr. II², 465 conjecit nemo hucusque quem novimus amplexus est, nemo saltem monstrare conatus.

rem vim non accepisse in lingua graeca. Alterum autem est quod in linguae sanscritae duplicatione nasalis illa haud raro usurpari putatur. Quod haud quaquam tam saepe fieri quam volunt grammatici ex eis quae in margine adjeci elucebit[11]).

Quibus de causis puto recte negasse Ioannem Schmidtium in *πίμπλημι πίμπρημι* verbis nasalem insertam esse ad priorem syllabam augendam; nulla autem veritatis specie nititur id quod addidit: „so mögen auch bildungen wie *παμφαίνω βαμβαίνω* (de quibus v. p. 295 supra) den nasal in *πίμπλημι πίμπρημι* veranlasst haben", quod scripsit immemor permagni numeri (plus triginta *stirpium*) ejusmodi verborum et nominum, quae mox enumerabimus.

Quae ad quaestionem spectare puto his sum amplexus.

1) Maximus numerus vocabulorum quorum radix *λ* vel *ρ* consona aut in fine aut loco medio est praedita (*ταλ ταρ* — *βρα πλε* — non autem *φλαδ χλαδ*) eam duplicationem praebent ut syllaba prior aut ipsam consonam liquidam exhibeat aut nasalem. Generis utriusque collegi plus triginta, quorum pauca tantum dubia visa sunt. Neque praetereundum est quod nonnusquam utraque forma simul extat: *γαργαλίζω γαγγαλίζω, ταρταρίζω τανθαρίζω.*

2) Nemo protulit verba graeca nasali praedita quorum radix in consonam exeat non liquidam aut in vocalem. Nam

---

[11]) Nixus grammaticorum indicorum testimonio Benfejus Ausf. Gramm. §. 169 has radices enumerat praeter eas quae in *j v* semivocales exeunt (?), quarum syllabae duplicatae nasalem exhibere dicuntur ipsis in aliam consonam desinentibus: *bhańǵ ǵap çap ǵabh ḱar phal dańç paç dah* — *kas pat pad* — *tantasja pampasja*, quarum *quatuor* tantum in ea quae nobis tradita est lingua sanscrita hanc duplicationem praebent (Lex. Petersb.): *ǵan-ǵabh-âna dan-dah-jatê dan-daçajitva ḱań-ḱür-jate.* E quibus unius quidem (*ǵabh*) praesens quoque nasalem exhibet: *ǵambh-atê*, alterius (*daç*) formae aliae: *dańç-a, dańsh-ṭra*, unde nasalis in syllabam duplicatam petita esse potest (cf. *ān-ańç-a*, R. *aç ańç*), tertium autem (*ḱar*) in consonam liquidam desinit. Quare restat unum *dan-dah-jatê*, quod alienum est a lingua palaeosanscrita (vedica). Cui addo *gan-gú-ja* R. *gu*, quod etiam in lingua recentiore sola extat.

etsi fieri potuit ut ad reliquorum similitudinem ejusmodi verba orerentur, videntur falsi esse qui tale quid hucusque statuerunt. Nam

βαμβακεύτριαι praeter alia mira i. q. *φαρμακίστριαι* Hes., cf. Bekker Anecd. 85, 27 *βαμβακοὺς τοὺς φαρμακοὺς Κίλικες λέγουσιν*, non est radicis cujusdam duplicatae *βακ*, sed recte videtur Ahr. dor. 86 huc rettulisse *βάμβα* i. q. *βάμμα*.

βαμβακύζειν quod legitur Hipponact. fr. 17 (Be.[3]) fortasse corruptum, non est radicis cujusdam ignotae *βακ* ut vult Hainebachius p. 12, sed una cum *βαμβαλύζω* (quod fort. ejus loco restituendum) pertinet ad *βαμβαίνω* (§. 5 A).

γογγύζω est *γογ-γυγ-j-ω* auctore G. Curtio Nr. 642. De quo verbo dicemus §. 5 A.

καγκαλέος sunt qui putent esse *καγ-καϝ-λέος* cum Etym. Magno: *κάγκανον παρὰ τὸ καίω κατ' ἀναδιπλασιασμὸν καὶ πλεονασμῷ τοῦ γ*. Sed vocis membra *καγκ-αλέος* colligimus ex *ἁρπ-αλέος ῥωγ-αλέος* et Homeri *πολυ-καγκ-έα δίψαν Λ* 642, cf. *πολυ-καγκ-έος· πολυξήρου, καγκ-ομένης· ξηρᾶς τῷ φόβῳ* (anhelando?) Hes. Quod *καγκ* cur negem eodem modo ac *καρκ* e *καρκαρ* ortum esse e *καγ-καϝ* exponam infra §. 5 A.

καγχάζω Hugone Webero (KZ. 10, 259) interprete ortum est ex *haha* („Naturlaut") nasali intento (*καγ-χα*). Irrepsisse autem nasalem ex ea quae subsequitur syllaba docet Hesychius: *καχνάζει· ἀτάκτως γελᾷ* (v. §. 5 A).

κιγχάνω e radice quadam *χα* ducere voluit Buttm. Ausf. Gramm. II[2], 218 (*κιγ-χα*). Sed suo jure adversatus est Lob. ad l. et El. I, 157. Radix enim est *κιχ* (*ἔ-κιχ-ον*) in quam nasalis eadem via irrepsit qua in *λαμβάνω* (J. Schmidt, Vocalismus p. 32).

πέμφιξ ortum esse ex *πεμ-φυ-ξ*, radicem autem esse *φυ* vult G. Curtius Grundz.[4] p. 708. Cui rei quid obstet apparebit §. 5 adeunti.

3) Consonarum liquidarum cum nasalibus ea est affinitas, ut generis utriusque sit natura durativa quae nunc vocatur,

nasalium autem facilior et levior quasi pronuntiatio quam liquidarum. Quare linguae sanscritae dialectus vulgaris (pracrita) multas ejusmodi imminutiones praebet (ut *daṅsêmi* = scr. *darçajâmi* tam antiquo tempore ortum ut sanscritae quoque linguae radicem *daṅç* = *darç* tribuerent Indorum grammatici, v. Lex. Pet. s. rad. *darç*) et ipsa lingua sanscrita: **kurkuma* *kunkuma* (si recte κρόκος huc refertur a Benf. W. II, 180). Accedunt doricae formae βέντιος βέντιστος φίντατος ἦνθεν δέντα κέντο (Ahr. dor. 110), quibus addo Βέλβινα Spartae Βέμβινα Argolidis vicum[12]).

4) Sed quod licuit pracrite loquenti non licuit Graeco, et multum interest discriminis inter glossas illas doricas et universam linguam graecam. Concedo. At non contendo consonas liquidas tot radicum duplicatarum in nasales transiisse ratione vocabulis πνεύμων πλεύμων, νίτρον λίτρον reliquis contraria, sed esse nasales *novissima quasi earum vestigia.* E radice ταλ duplicata ταλ-ταλ antequam id fieret quod lingua sectabatur τα-ταλ, factum est ταν-ταλ, ita ut λ consona evanescens relinqueret eum sonum irrationalem, qui omnibus consonis durativis quas vocamus insitus est. Quem puto similem fuisse ei quem *anusvâra* vocant Indorum grammatici [cf. *daṅsêmi*]. Similiter *j* σ ϝ consonae eum qui iis insitus est spiritum reliquerunt: ὅς = scr. *ja-s*, ἑπ- = scr. *sak*, ἑσ- = scr. *vas*.

5) Non obstat quod inde non evaserunt priores syllabae productae: productio enim fuit augmentum haud levius quam ipsa nasalis (v. κω-κύ-ω supra), lingua autem id sectabatur ut prior syllaba levaretur. Quare post πίμπλημι e πιλ-πελ-μι (scr. *pi-par-mi*) factum unum remansit fingendum πίπλημι.

6) Probatur autem res eo quod non antiquissimorum tantum linguae graecae temporum fuit illa attenuatio, sed posteriorum quoque; cf. τανθαρίζειν (Gramm., τανθαρυστός Theo-

[12]) Similia dialectus Tzaconica (neograeca) praebet: μουνταλία i. e. μυρταλίς, ἔγκατε i. e. ἔρκατος (KZ. 18, 136. 37).

pomp.) i. q. *ταρταρίζειν* (C. Grundz.[4] p. 495) et Phryn. p. 97 ed. Lob.: *γαργαλίζειν λέγε διὰ τοῦ ρ, ἀλλὰ μὴ διὰ τῶν δύο γ, γαγγαλίζειν.* Hoc autem quam longe a vetustatis consuetudine recedat docuit Lob. ad l. l. — Cf. scr. *kań-kal-a* = *kar-kar-a.*

7) Neque obstat quod e lingua sanscrita, quae etiam in reliquis duplicationis generibus a lingua graeca saepe secedit, pauca tantum ad *kań-kûr-jatê* verbi similitudinem ficta afferre possumus. Eae enim radices quae graece desinunt in *λ*, sanscrite omnes fere in *r* exeunt; e *λ* autem ad nasalem facilius transitur[13]). Qua in re respiciendum est quod radicum earum quae in *λ* cadunt nulla duplicationem integram praebet, sed omnes *λ* aut amiserunt aut in nasalem mutaverunt. Cujus rei non sola dissimilatio causa fuit: majorem enim numerum verborum perinde ac *γαρ-γαλ-ίζειν* fictorum inveniremus (cf. *ἀργαλέος*).

8) Neque est praetereundum quod earum quas novimus hujus generis radicum 36, 24 sunt schematis *c. v. l.* (cons. + voc. + liq.), reliquae autem duodecim schematis *c. l. v.*, quod ex *c. v. l.* nasci potuit (*πίμ-πλη-μι* scr. *pi-par-mi*). *c. l. v. c.* autem (*φλαδ χλαδ* sim.) non sunt hujus duplicationis. (Utrumque genus infra enumerabimus; *πίμπλημι πίμπρημι κίγκραμι* v. p. 317.)

9) Respiciendum est quod hujus duplicationis voces prioris syllabae vocalem haud raro *imminutam* exhibent (*κίγκαλ-ος*). Quod optime intelligitur si universa syllaba prior non aucta est, sed attenuata. Ea autem quae supra attulimus *παιπάλλω* rell. revera intenta omnia genuinam vocalem (praeter *υ*) priori syllabae tribuunt.

Accedimus ad ipsas voces enumerandas.

βαμ-βρα-δών, βεμβραδών, βεμβράς, μεμβράς, pisciculi cujusdam nomina (cf. *βεβράδα· ἀθερίνην* Hes.) dupli-

---

[13]) At donec grammatica sanscrita desideratur ex ipsa quae tradita est lingua deprompta neque sola indicorum grammaticorum auctoritate confisa, in ejusmodi res linguae sanscritae inquirendi deest copia.

catione nata sunt radicis cujusdam quam in δ *non* desivisse apparet e μεμβραφύη Aristophaneo. βεμβίδιον· ἰχθύδιον λεπτόν Hes. est eadem vox pronuntiatione mutilă.

βεμ-βρός· τετυφωμένος, πάρετος Hes. cf. βεβρός §. 3 F.

βομ-βοιλαδόνας· ἐνιαυτούς Hes.

βομ-βρύζων· τονθορύζων. βοῶν Hes. ortum esse ex βορβορύζων recte fortasse suspicatus est Maur. Schmidtius, etsi βορβορυγή id tantum significat quod κορκορυγή. ἔβρυζε autem quod legitur Archil. fr. 32 fortasse corruptum significatione differt. Neque audeo dijudicare hicne spectent glossae hae Hesychianae: βρυαλιγμόν· ψόφον. ἦχον et βρυαλίκται, de quo quae viri docti conjecerunt collegit Bergkius ad Stesich. fr. 79. — Unde βομβρυνάζειν· βρενθύεσθαι Hes.

γαγ-γαλ-ίζω v. p. 313.

γάγ-γλιον nervorum nodus (νεῦρον συστροφή).

γάγ-γραινα ossium caries. Quae cum φαγέδαινα quoque et ἐδηδών vocetur, Legerlotz KZ. 10, 378 haud inepte videtur contulisse Hesychianum γρᾶ· φάγε et γράω edere (Call.), quamvis radicis γαρ genuina vorandi sit vis.

γιγ-γλισμός· γαργαλισμὸς ἀπὸ χειρῶν, γέλως (Hes.) cf. γαργαλίζω γαγγαλίζω titillare.

γίγ-γλος· νᾶνος Hes. (?)

γίγ-γλυμος· ὁ στρεφόμενος γόμφος ἐπὶ τῶν θυρῶν. καὶ ἐπὶ τοῦ θώρακος οἱ στροφεῖς. καὶ φιλήματος εἶδος. Hes.

γιγ-γρα-σ-μός· ἦχος. γίγγρος· αὔλημά τι, ὅπερ ἔνιοι γίγγρον. οἱ δὲ αὐλοῦ γένος. γιγγρίαι· αὐλοὶ μικροί. (Cf. quod in libris R. V. legitur *gargaras* „Laute, Harfe" Grassm.). Unde prodiit γιγγρί· ἐπιφώνημά τι ἐπὶ καταμωκήσει λεγόμενον. καὶ εἶδος αὐλοῦ Hes.

γογ-γρύζειν· τονθορύζειν. τὸ τὰς ὗς φωνεῖν . . . . τὸ αὐτὸ καὶ γρυλίζειν λέγεται (et γρύζειν) Hes., γογγρύσαι idem. Cf. γρίλλη· ὑῶν φωνή, γρυλίων et γρύλλος· ὁ χοῖρος.

γογ-γρώνη turgidum guttur (*ἀπόστημα ἐν φάρυγγι* Hes.) et *γόγγρος* nodus arboris (*ἡ γογγρώδης τῆς ἐλαίας ἔκφυσις* Hes.) videntur ejusdem originis esse ac *γρῶνος*, cavus (utrumque id quod *σφαιροειδής*?).

γογ-γύλ-ος rotundus est radicis *γυλ*, scr. *gul-a, gul-î*, pal.-scand. *kul-a* globus (F.[2] 65). Unde *γογ-γυλ-ίζειν* et *γογ-γυλίς*, rapa rotunda, *γόγ-γυλ-σιν· συστροφήν* Hes.

δάν-δαλ-ος· ὁ ἐριθακὸς τὸ ὄρνεον Hes.

δαν-δαλ-ίδες· κάχρυες. κριθαί. ἢ σῖτος πεφρυγμένος Hes. et quod idem valet *δενδαλίς* non liquet unde originem duxerint.

δεν-δίλ-λ-ω speculari est radicis (*δερ*) *δελ*, scr. *dar* (F.[2] 88), cujus auctior forma est *δερ-κ*. Breviorem radicem fortasse praebet *ὑπό-δρα* (cf. C.[4] p. 546), nisi consona in fine omissa est ad similitudinem vocum *γάλα ἄνα γύναι παῖ*. Alterius autem syllabae vocalis attenuata est, cf. *ὀπ-ίπ-ας* rell. §. 4 et scr. *dar* (findere) *dardar dardir*, *kar* (*kir*) (laudare) *k̍ar-kar k̍arkir*.

δέν-δρε-ον (*δεν-δρεϝ-ον*), unde *δένδρον*, est radicis *δρυ* (*δρῦ-ς*). Quo Doederleinius recte rettulit *δεν-δρυ-άζειν· ταπεινῶς ὑπὸ τὰς δρῦς παραφεύγειν* et *ὑποδενδρυάζειν· τὸ ἐξ ἀφανοῦς καὶ ἐξαιφνιδίως ἐπιφαίνεσθαι* Hes., quae prioris syllabae vocalem ad *δένδρεον* substantivi similitudinem acceperunt.

κάγ-χαλ-ος· κρίκος ἐπὶ ταῖς θύραις. Σικελοί (Hes.) Lobeckius recte videtur suspicatus esse (El. I, 166) proprie significare maniculam, *χηλ-ήν*.

κέγ-χρο-ς, milium, cf. *ci-cer*, R. *καρ* durum esse (*κάρκαρος* p. 291).

κίγ-καλ-ος, *κίγ-κλ-ος*, motacilla (*ὄρνεον πυκνῶς τὴν οὐρὰν κινοῦν* Hes.) nomen accepit a caudae vibratione (*κιγ-κλ-ίζειν*, *κιγ-χλ-ίζειν* Hes.), ob quam *σεισοπυγίς* quoque vocatur. R. *κελ* (C. Nr. 48) celerem esse, scr. *k̍ar* (*κέλ-ης*, *cel-er*), cujus *vibrandi* vis est in vocibus his: scr. *k̍ar-a* mobilis, motacilla; *κίλλ-ουρος· σεισοπυγίς* Hes., lat. *mota-*

cilla; scr. *kar-kar-a kaṅ-kal-a* vibrans, lat. *quer-quer-us* i. q. febris. — cf. *κί-κελ-ος· τροχός* Hes.

κιγ-κλ-ίδες et *can-celli* non significatione solum, sed etiam, ut videtur, origine inter se respondent. Nam qui cancelli a cancro nomen acceperint vix erit qui dicat, quamvis ea similitudine nisus Lobeckius path. Prol. 141 *κιγκλίς* et *καρκίνος* unius radicis esse voluerit. Id autem quo Apulejus Met. 6, 8 usus est *cancros* = *cancellos* ni etymologicum ejus commentum est, alienum est a cancri animalis nomine. (Cf. *κάρκαρα* = *μάνδραι* infra p. 291? an recte F.[2] 435?)

κιγ-κράμας· ὄρνεον Hes.

κιγ-χλισμός· αἰσχρὸς γέλως μετὰ ἀταξίας Hes., cf. *κιχλίζω* infra.

μέμ-βραξ (pro *βεμ-*) cicada, cf. *βαβράζειν* cicadarum stridor (Ananias fr. 5 Bergk.). *μ* autem et *β* consonantium eadem est vicissitudo ac in voce *μεμβράς βεμβράς* (v. *βαμβραδών* supra). Eodem videntur spectare Hesychii glossae *βεβράξαντα* et *βάβρηκες*.

παμ-φαλ-άω i. q. *παπταίνω* (F.[2] 137), comparatur cum scr. *bhal-atê* et cum graecis vocabulis *φαλ-ιός, φαλ-ηρός*. Ac verbum sanscritum *ni-bhâlajati*, cernere, testimonio est *φαλιός* rell. e *φαλ* R. determinata, non e primitiva *φα* radice coorta esse.

παμ-φαλύζει· τρέμει Hes. (?) Maur. Schmidt contulit cum *βαμβ-αλύζω* (v. *βαμβ-αίνω* §. 5 A): *τρέμει. τοὺς ὀδόντας συγκρούει. ῥιγοῖ σφόδρα.* At ratio quae inter ea intercedere videtur haud minus dubia est quam illa quam idem statuit de *βομβ-υλίδας· πομφ-όλυγας* Hes., quorum alterum quidem est ejus radicis cujus *βομβ-έω, βόμβ-υξ, βομβ-ύλη*, alterum ejus cujus *πέμφ-ιξ*.

πέμπελος (?) senum et vetularum epitheton Hes. interpretatur *στωμύλος. λάλος*, quocum male quadrat quod Lycophron Tiresiam sic appellavit, et *οἱ δὲ λίαν γηραλέον*, unde nihil elucet. Lob. prol. 105 contulit *πολιός*, Benf. W. I, 571 *πάλλω*, male uterque.

πεμ-φρη-δών, vespa, est radicis *φρε*, scr. *bhram*

stridere, cf. *bhram-ara* apis, mhd. *brem-e.* μ autem quod prior syllaba exhibet minime eadem est consona quam rad. sanscrita in fine praebet, ut vult Gerland 51: graecum enim vocabulum e breviore forma *bhar* (φρε) ortum est, cf. scr. *bam-bhar-a* apis, *bam-bhar-âli* musca (v. τενθρηδών). — Πεφρηδώ Graea Hes. th. 273.

ταν-θαρ-ίζω, -ύζω gramm., ταν-θαλ-ύζει· τρέμει. Δωριεῖς. οἱ δὲ σπαίρει Hes. i. q. ταρταρίζειν; nasalis enim τ consonae spiritum addidit (C.[4] p. 495). κανθαρίζειν quod sunt qui afferant corruptum est.

ταν-ταλάσσεται δάκρυα· στάζει δάκρυα Hes.

Τάν-ταλ-ος nomen accepit a radice ταλ, ea ut videtur vi quam praebent τάλ-ας τλή-μων Ταλαός (χαλέπ᾽ ἄλγε᾽ ἔχοντα λ 582). In reliquis autem vocibus duplicatis eadem radix agitandi vel vibrandi vim praebet: ταντάλειος· τρομικός Suid., ταντελίζεται· σαλεύεται, ἐταντάλιζεν· ἔτρεμεν Hes. — ταντελωθείς autem vocatur Soph. Ant. 134 quem Juppiter de caelo praecipitem dedit.

τεν-θρη-δών, τεν-θρή-νη, vespa R. θρε, scr. *dhraṇ* stridere, cf. θρῶναξ· κηφήν. Λάκωνες Hes. — θρε: *dhraṇ* = φρε (πεμ-φρη-δών): *bhram.* — Cf. quod sequitur.

τον-θορ-ύζω, τον-θρ-ύζω murmuro, τον-θρ-ύς, R. *dhar*, cf. θόρυ-βος, θρῦλος, θρέομαι, θρῆνος, scr. *dhâra* guttarum murmur (C. Nr. 317). θόρυβος et τονθορύζω fortasse vocalium assimilationem praebent, cf. κέλευθος ἀκόλουθος.

Verborum trium quae subjungimus nasalis saepe omittitur; nam cum duplicatio eorum in praesenti solo neque in reliquis systematis usu fiat, lingua videtur quasi sensisse leviorem esse eam quam reliquorum et eis verbis, quae §. 3 G afferenda sunt, conferendam et adaequandam. Nam dissimilatione sola nasalis vix ejecta esset, quod ausim affirmare etsi ἐντονθορύζω vel similia non extant (ἐνδανδαίνειν Hes. enim est dubium).

κίγ-κρα-μι i. q. κεράννυμι praebet Hes.: κίγ-κρα· κίρνα; ἐγ-κί-κρα (Sophron) v. Ahr. Dor. 346.

πί μ-πλ η-μ ι, *πιμ-πλά-ναι* (dial. dor. quoque *η* praebet, v. Ahr. 131), *πι μ-πλέ-ω*, *πι μ-πλάν-ε τ α ι* sunt radicis *πλε* (*πλα*, *-ν*) cf. scr. *pi-par-mi.* — *ἐμπίπλημι* pros.; *πίπλημι* (poet.) autem vitio librariorum in libros oratione pedestri conscriptos irrepsit, Lob. Phryn. 95.

πί μ-πρ η-μ ι, *πι μ-πρά-ν α ι*, R. *πρε πρα* (*η* Ahr. Dor. l. l.), *ἐμπιπράω*, *ἐνεπίμπρων*. — cf. palaeosl. *pe-pel-u* cinis.

Voces igitur praeter *πίμπλημι πίμπρημι κίγκραμι* 21 extant quarum radices sunt schematis *c. v. l.*: (cf. p. 313) *βομβρύζω* (?) *βομβοιλαδόνας* (?) *γαγγαλίζω* (*γάγγλιον*?), *γιγγλισμός γιγγρασμός γογγύλος δάνδαλος* (?) *δανδαλίς* (?) *δενδίλλω δένδρεον* (cf. *δορυ*) *κάγχαλος κέγχρος κιγκαλος κιγκλίς παμφαλάω παμφαλύζω* (?) *πέμπελος* (?) *τανθαρίζω ταντελάσσεται Τάνταλος τονθορύζω*, quorum ea quoque quae (?) signo notavimus, si quidem duplicata sunt, huc pertinent (*βομβρύζω*?); reliqua autem (12) sunt *βαμβραδών βεμβρός γάγγραινα γίγγλος* (?) *γίγγλυμος γογγρύζειν γογγρώνη κιγκράμας κιγχλισμός μέμβραξ πεμφρηδών τενθρηδών*, quae omnia sunt *c. l. v.* schematis.

B.

Tria sunt de quibus huc usque disputavimus radicum duplicatarum genera, quae quidem notari possunt formulis *βα*, *ἀρ*, *βαρ* (*βρα*). Earum autem quae aut ab initio aut a fine binis consonis sunt praeditae, nulla integram duplicationem praebet. Cujus legis ratio intelligitur ex eis quae Lobeckius monuit de praeceptis euphonicis Paral. 18: „Graeci haud facile committunt ut easdem duas consonas in duabus continuis syllabis iterent. Etenim nullum est illis vocabulum simplex et primitivum, quod cum latinis *scisco*, *proprius* comparari possit, non ita multa quae cum vernaculis *Still-stand*, *dreidräthig*, *unausbleiblich.*“ Unde perspicitur cur ex *ἀλκ φλαδ* duplicatis *ἀλ-αλκ πα-φλαδ* prodire debu-

erint[14]). At non semper lex illa rata fuit; licuit enim antiquitus Graecis duo consonarum binarum genera subinde iterare: aspiratas easque quarum prior fuit σ (σκ στ σπ). Nam aspiratarum quoque binae sunt partes, consona muta altera, altera spiritus. Antiquitus autem et prioris syllabae et posterioris fuisse aspiratas apparet collatis scr. *da-dhâ-mi* gr. *τί-θη-μι*. Nam linguae primaevae *gh dh bh* solae consonae aspiratae fuerunt, unde χ θ φ Graeci effecerunt. Qui cum *g d b* intacta relinquerent, non intelligitur quomodo *τί-θη-μι* ortum sit nisi ex *dha-dhâ-mi*. Accedit duplicationis latinae testimonium: *fe-fell-i*, *fe-fac-ust* (*f* enim ex aspiratis prodiit). Quam dissimilationem incepisse prius quam in tenues aspiratas lingua Graeca mutaret aspiratas medias, elucet e *φέβομαι φέρβω* §. 5. A. B. — Reliqua quidem (*sk st sp*) in lingua gotica sola iterantur: *skai-skaid* (de *spo-spond-i* quod sunt qui statuant cf. Neue Formenl. II, 354), collatis autem scr. *ta-sthâu* = lat. *ste-ti*, scr. *ti-shthâ-mi* = zend. *hiçtâ-mi* = *ἵ-στη-μι*, apparet pristinam duplicationem fuisse *sta-sta*. Neque a lingua Graeca aliena sunt vocabula perinde ac scr. *ti-shthâ-mi* duplicata:

εἴρ-ερ-ος (θ 529) servitus quin sit *παρὰ τὸ εἴρειν τὸ δεσμεῖν* (Lob. El. I, 176 not.), unde etiam *ser-vus*, vix est dubium. Hujus autem radicem esse *σϝερ* elucet ex eis quae G. Curtius collegit ad Grundz. Nr. 518. Quare illud videtur esse *ϝερ-σϝερ-ος* (an *ϝερ-ϝερ-ος*? at σ consonam servarunt *σειρά σερίς*), unde *εἴρ-ερ-ος* prodiit prioris syllabae productione suppletoria.

κα-σκάνδιξ· ἡ γηθυλλίς Hes. cf. *σκάνδιξ* i. q. *λάχανον ἄγριον* (*σκάνθαν· κράββατον* Hes.?), quae quamvis significatione diversa contulit G. Curtius KZ. III, 414.

κε-σκί-ον, stuppa, R. *σκι κείω* (*σκειω*), scr. *khjâ-mi*, lat. *de-sci-sco* (C. Nr. 45 b). *κο-σκί-νο-ν* cribrum, cujus

---

[14]) Cf. autem *ζιζάνιον ζίζυφον*. — Paragrapho primae nonnulla addidimus quae medium fere inter duplicationem aequabilem et imminutam locum tenent (*ἀγ-αγύρ-της*).

duplicatio similitudine caret in universa lingua graeca, est ejusdem radicis, cf. *κρί-νω: cri-brum.*

κο-σκυλ-μάτια· τὰ τῶν βυρσῶν περικομμάτια Hes., cf. *qui-squil-iae,* R. *σκαλ* (*σκάλλω, σκαλεύω*), cujus etiam *κα-σκαλ-ίζεται· γαγγαλίζεται* Hes.

πα-σπάλ-η, pulvis, R. *σπαλ.* Cf. *παιπάλη* p. 308.

φέ-ψαλ-ος. — Cum Hesychius praebeat *ψελός· αἰθαλός, φέψελος φέψαλος φεψάλυγξ* autem valeant id quod *σπινθήρ,* haud absonum videtur duplicationem statuere. Radix autem fortasse est *σϝελ,* cf. scand. *svael-a* fumus, pal.-g. *swiliza* calor, ags. *bi-svaelan* urere (F.[2] 920), unde *ψόλος* fumus. E *σϝελ* enim prodiit *σφελ* (cf. *sva* = *σφε*), inde autem *ψελ* (*ψέων ψίν ψέ* Ahr. dor. 261 a stirpe *σφε*). *φέ-ψελ-ος* igitur e *σφε-σφελ-ος,* i. e. *σϝε-σϝελ-ος* ortum est. Cui non obstat quod *ψόλος* fumum solum significat, nam radicis *sval* non semper ea vis fuit quae vernaculi *schwelen* (*schwül*); cf. ags. *glêdum besvaeled* „durch die Gluthen versengt" Beow. 3042 (Heyne Beowulf, Gloss.) et *νῆα θοὴν ἔβαλε ψολόεντι κεραυνῷ* ψ 330, *τριήρους οὐ φεψαλωμένης* Polem. or. fun. 15a, *ἐφεψαλώθη κἀξεβροντήθη σθένος* (Typhonis fulmine icti) Aesch. Prom. 362.

C.

In eis ad quae nunc accedimus duplicationis imminutae vocabulis ea quoque enumeramus, de quorum duplicatione, sitne imminuta an integra, statuere nequivimus.

βα-βάκινος. — *βάκινος ἢ βαβάκινος· εἶδος χύτρας* Zonar.

βα-βράζω, stridere, est ejus radicis cujus *μέμβραξ* p. 316. Cf. *βεβράξαντα* infra. — Scr. *bhram,* quam radicem huic voci tribuit Benf. W. II, 113, in lingua graeca formam *φρε* praebet, cf. *πεμ-φρη-δών* p. 316. — *βράζω.*

βα-βρήν· ὑπόστασις ἐλαίου κατὰ Μακεδόνας Hes. [i. q. *βόρβορος*?]

κά-καρον οἱ μὴ κατὰ γλῶσσαν λογάδα ὁμιλοῦντες τὸ κράνιον λέγουσιν Eust. 1796, 58.

κα-χλάζω (-χλαδ-jω), quod de aquae strepitu usurpatur, est radicis χλαδ (C. Nr. 181), scr. *hrâd* sonare, unde *hrâd-uni* tempestas, *hrâd-inî* fulmen, χάλαζα (χαλαδ-jα) *grand-o*. Quam radicem jam antiquitus ad aquae sonum significandum usu venisse probatur sanscrito *hrad-as* lacus, *hrad-ini* fluvius.

κά-χληξ, κό-χλαξ, calculus, cf. χάλ-ιξ. Fortasse lat. *calx, calculus* quoque huc (et ad R. καρ, p. 291) referenda sunt.

λα-λάξαι (?)· τὴν γλῶσσαν ἐξελεῖν Hes. cf. λαι-λάξαι id.

λα-λαμίς (?)· λαῖλαψ. ἀντὶ τοῦ λαλαμίς λαιλαμίς γράφουσιν Hes.

πα-πταίνω, speculari, non esse id quod scr. *k̕aksh* elucet inde quod hoc e *k̕a-kas* prodiit (Windisch KZ. 21, 424). Simplicem autem radicem fortasse praebent ἰμ-πάτ-αδον· ἔμβλεψον. Πάφιοι. ἰν-κα-πατ-αδον (cod. -ταπ-)· ἐγκατάβλεψον. ἀν-ε-πάτ-αξεν· ἐξ ὕπνου ἀνέβλεψεν Hes. — Cf. Legerlotz KZ. 8, 418.

πα-φλάζω, bullire, R. φλαδ (ἔφλαδ-ον); cf. φλασ-μός· τῦφος et πε-φλάζει· βράζει Hes.

D.

βέ-βλεσθαι· μέλειν. φροντίζειν. βέβλειν· μέλλειν. βέλλειν· μέλλειν Hes. fortasse grammatici cujusdam commenta sunt, qui βέμβλετο (ἐφρόντισε Hes., i. q. μέμβλετο, cf. μέμβραξ p. 316, cujus similis consonarum vicissitudo est) interpretari voluit.

βε-βρενθ-υ-όμενον· παρὰ Ἱππώνακτι, ὀργιζόμενον Hes. fortasse βεβρενθυμένον legendum, cf. Hipp. fr. 109 Bergk., et βρενθύεσθαι· ὀργίζεσθαι Hes.

ἐγείρω collato scr. *ǵâ-gar-mi* pro γε-γερ-jω dictum videtur, ut judicant Benf. II, 128, C. Nr. 137, F.[2] 59. At non est tacendum quod praeter ἴπταμαι, cujus formae

testimonium antiquissimum exstat in Euripidis Iphig. Aul. v. 1608, nullum exemplum extat consonae in initio vocis duplicatae omissae, nec probavit Benfejus quod pollicitus est KZ. 8, 2, *ὀκέλλω ὀδύρομαι ὀμίχω ὀτρηρός* verborum *ο* duplicationis esse reliquum. Nec multum nobis prodest contulisse quod *gangabas* Persae vocant umeris onera portantes secundum Curtium Rufum 3, 13, 7 et *ἄγοβος* est *σκευοφόρος, φορτηγός* Hes., nec *κάκαρον* (p. 321) comparaverim cum *ἀκαρός* (*σημαίνει τὸν ἐγκέφαλον ἢ τὴν κεφαλήν* E. M.), nec *τάτα ἄττα, πάππα ἄππα.* — Quas similitudines fere alienas si missas facimus, conjecturae illius haud summa restat species veri. Nam quamvis in lingua sanscrita radix *gar* non extet nisi duplicata: *ǵâ-gar-mi* vigilo, *ǵâ-gar-ti* vigilantia, *ǵâ-gṛ-vi* vigilans, neque in lingua graeca sine illo *ε*: *ἐγείρω, ἔγρ-ετο* (*-οιτο, -εο*), *ἔγερ-σις, ἐγερ-τί,* tamen lingua zendica simplicem formam praebet: *fra-ghrâ-ta* expergefactus. Quare quamquam exceptis fortasse *ἀγανός* (C.[4] 172) et *ἀγείρω* (C. Verb. I, 307) exemplum vocalis protheticae ante *γ* consonam non exstat, tamen primam illorum vocabulorum vocalem protheticam potius habuerim.

λε-λεπρίς· ἰχθὺς ποιός, ἡ καλουμένη φυκίς Hes.

μέ-μν-ων· ὁ ὄνος Hes. est radicis *μεν*, cujus *μίμνω*, *man-eo*, qua animal plagarum patiens (cf. *Λ* 588) haud inepte significatur. Fortasse *Μέμνων* quoque N. pr. huc potius redit quam ad id quod sequitur.

μέ-μν-ων (*θρασυ-μέμνων*) R. *μεν* (*μέμονα*). Unde *Ἀγα-μέμνων*; qui *ἄγαν μέμονε*, non „der Hochgesinnte", ut vult Preller Myth. II, 427.

πέ-πλ-ος ad radicem *πελ* (*πόλ-ος*) pertinere Sonne KZ. 10, 407 minime mihi persuadet. R. *σπελ* = *στελ* vestire sejuncta a *στέλλω*? cf. aeol. *σπόλα* i. q. *στολή*, et *σπάδιον* *στάδιον* *στ* e *σπ* (*spatium*) orto, et *σπάργ-ω, σπάργ-ανα* incunabula?

Πε-φρη-δώ Graea v. *πεμφρηδών* p. 316.

σέ-σελι (?), planta quaedam, quae etiam *σίλι* vocatur.

σε-σερῖνος (?), piscis.

E.

κί-κιν-νο-ς (*cin-cin-nu-s*) Benfey W. II, 288 putat ejus radicis esse cujus *cirrus*, scr. *ki-kura*, e **κι-κιλ-νο-ς* natum. At praestat huc vocare nomina *Cinnae* et *Cincinnati*. — *κικίννα· τριχοπλάστης* Hes.

κί-κιρ-ρος· ἀλεκτρυών Hes. — *cucurire*.

κικριβιντίς· ἀνδράχνη Hes., sed cf. etiam *κιχλη-βῶτις· ἀνδράχνη*.

κι-χλιδιᾶν· τὸ χλιδᾶν οἱ κωμικοί φασι κιχλι-διᾶν Poll.

κι-χλίζω cachinnare (v. *κιγχλίζω* supra) unde ortum sit non demonstravit Hugo Weber KZ. 10, 255. E *καχλάζω* autem ne natum putemus significatio obstat, quamvis Hesychius praebeat *καχλάζω· κιχλίζω*. Cf. *κικλισμός· γέλως* Hes.

σι-σίνδιος· γέρων Hes. — *σίνδος· γέρων* id.

F.

βε-βράδα· ἀθερίνην Hes. cf. *βαμβραδών* p. 313.

βε-βράξαντα· συντόνως κεκραγότα. λέγουσι γὰρ τὸ ἔνδον τῶν σιαγόνων μέρος βέβρηκας. Cf. *βαβράζω* p. 320.

βέ-βροξ (?)· *ἀγαθός. χρηστός. καλός* Hes.

βε-βρός (?)· *ψυχρός. τετυφωμένος* Hes. Hipponacti (fr. 64 B.) reddidit Schneidewinus. Cf. *βεμ-βρός* p. 314.

βε-βρώ-θ-οις Δ 35 est radicis *βορ* (*βι-βρώ-σκω, βορά*), *θ* autem id quod exhibent *κνάω κνή-θ-ω, ἀλέ-ω ἀλή-θ-ω*. — Quod nescio an melius in perfectis referatur (cf. *ἐγρ-ηγόρ-θ-ασι*).

κε-κρανίς (verborum ordine postulatur *κε-καρανίς*)· *τράγου δορά* Hes. — *καρανώ· τὴν αἶγα. Κρῆτες* id.

Κέ-κροψ, R. *καρπ* (*καρπ-ός, κρώπ-ιον, carp-ere*), est *Πολύκαρπος*, quod esse debet filius *Ἐριχθονίου*.

Με-μβλ-ίς· Μῆλος ἡ νῆσος Hes. *Μι-μαλ-ίς· ἡ νῦν Μῆλος* id.

με-μαίκυλον i. q. *μι-μαίκυλον* (?).

νέ-ννος i. q. *νάννας* p. 285.

πε-πραδ-εῖλαι (cod. et ord. verb. *-τραδ-*)· *οἱ μὲν τοὺς ἀποπνευματισμούς, οἱ δὲ εἶδος ἰχθύων.* — *πε-πραδ-ῖλαι· εἶδος ἰχθύων* Hes., utraque vi etiam Phot. — R. *περδ, πέρδ-ειν*; cf. Lob. Prol. 108. — Idem piscis etiam *πραδίλη* vocatur (Theognost.).

πε-πρίλος· ἰχθὺς ποιός Hes. (?).

πε-πτήνας· περιβλεψάμενος Hes. — v. *παπταίνειν* p. 321.

πε-φλάζει· βράζει Hes. v. *παφλάζειν* p. 312.

ἐ-πέ-φλυ-σε· βλαστῆσαι ἐποίησε Hes. est glossa mira. Radix enim quin eadem sit ac verbi *φλύω* (C. Nr. 282) dubium esse nequit: cujus verbi saepe transitiva est vis, nunquam causativa. Neque *ἐπιφλύειν* significat *βλαστῆσαι ποιεῖν* nec significare potest. Quare id solum restat ut formam duplicatam statuamus vi causativa praeditam. Cui non obstat quod *φλύζω* aoristum praebet *φλύξαι.*

σέ-σοψ· ποιὸς ἰχθύς Hes. (?).

σέ-συφ-ος· πανοῦργος Hes., cf. *σοφ-ός* *sap-iens*, *ἄ-σύφ-ηλος* insipiens. — Duplicationis vis neminem latet. — *Σίσυφος.*

τέ-ταν-ος (R. *τα, ταν, τι-ταίν-ω*) et intendendi et palpitandi vim praebet; *τε-ταν-ός* autem (distentus, gracilis) est id quod *ταν-αός.*

τέ-τανος· κονία. χρίσμα. ἄσβεστος Hes. — Cf. *τίτανος.*

τε-τράζω i. q. *κακκάζω*, *τετράων*, *τέτραξ* (cf. Passow s. v.), *τετραῖον* (*Λάκωνες* Hes.), *τετράδων* (Alcaeus fr. 115 Bergk.), *τέτριξ*, nomina avium; cf. scr. *tittira*, *tittiri* perdix.

τε-τραίνω perforare, cf. *τιτράω, τίτρημι, τιτρώσκω.*

τέ-ττα i. q. *τάτα* p. 286.

G.

βι-βά-ζ-ω i. q. *βαβάζω* p. 282 legitur Hippon. fr. 53 Bergk.: *ἀλλ' αὐτίκ' ἀλλήλοισιν ἐμβιβάξαντες,* quod Schneidewinus nequicquam tentavit.

βῐ-βά-ζ-ω (βιβάσω), mittere, est radicis βα, ire, quam duplicatio vi causativa instruxit. Sed vis intransitiva quoque extat = ὀχεύω, βίβασις = 1) ὀχεία, 2) saltatio quaedam, βιβαστής = ὀχευτής.

γι-γαλία· ἡ γῆ Hes. (?).

γί-γαρ-τον, vinaceus (?), Benf. W. II, 128 voluit esse radicis γαρ (γέρων): „schwer zerreibbar", duplicationis et ipsius radicis vim statuens inauditam nec significationi satis faciens: cf. γιγαρτίς i. q. σταφίς.

Γί-γας (ῐ) (:βιβάς = Ἀλεξαμενός Τισαμενός : ἀλεξάμενος etc.) videtur esse radicis γα gignere (C.[4] 175).

δῐ-δάσκω, doceo. R. δα duplicata retinuit suffixum inchoativum et immutatum (cf. δι-δάσκαλος) et mutatum (διδαχή, cf. C. Gr.[4] 690 sqq.; διδάξω cf. ἀλύσκω ἀλύξω).

ζι-ζάνιον lolium.

ζί-ζυφ-ον arbor, cujus fructus vocantur *ju-jub-ae*, cf. C.[4] 610.

ἰ-άλ-λ-ω (ῐ) (ἴηλα), mitto, est id quod scr. *ij-ar-mi i-ar-*), R. *ar* (ire) causativa. Respicienda est duplicatio solius vocalis (cf. autem ἀρ-αρ-ίσκω, quod ejusdem radicis est), quam etiam id quod sequitur praebet.

ἴ-ανθ-ον· ἄνθος. καὶ χρῶμά τι πορφυροειδές Hes., ἴ-ονθ-ος lanugo (Bekker An. 44, 23), ἰ-ονθ-άς (ῐ) hirsutus (Hom.) sunt radicis ἀνθ, ἀθ (C. Nr. 304).

ἰ-αύ-ω (ῐ) (ἰ-αῦ-σαι), dormire, est radicis ἀϝ spirare (ἄϝ-ε-σα), ι autem duplicationis ejusdem quam ἰωή (p. 303) praebet.

ἰ-άχ-ω (ῐ), jubilare, est ϝι-ϝάχ-ω (C.[4] 563), αὐίαχοι = ἀ-ϝί-ϝαχ-οι, R. autem ϝαχ (ϝῆχος), Βάκχος = ϝάκχος, cf. Ἴ-ακχος. De ἀχέω = ἰαχέω v. Buttm. Lexil. II[2], 104, ἀμφιαχυῖα p. 327 s. v. δίζημαι.

ἴ-ουλ-ος (ῐ) i. q. οὖλος culmorum manipulus, Ἰ-ουλ-ώ = Οὐλ-ώ, Cereris nomen, ἴ-ουλ-ος lumbricus, R. ϝελ (ἐλύω), C.[4] 563.

ἴ-ουλ-ος (ῐ) lanugo, i. q. οὖλος crispus? (Benf. W. II, 302. Leo Meyer I, 427).

ἰ-σχ-νός siccus, unde ἰσχναίνω, F.[2] 197 videtur recte reddidisse radici *sik*, cf. scr. *sik-atâ* arena, lat. *sicc-us* = zend. *hik-u*, et zend. *hi-sk-u* (i. e. *si-sk-u*) = (σ)ι-σχ-νό-ς.

ἰ-ωρ-ός (praeter alia φύλαξ οἴκου Hes., cf. Lob. Prol. 275), R. ϝορ (οὖρος, ὁρ-ᾶν)?

κί-κελ-ος· τροχός Hes., cf. κίγκαλος p. 315.

κί-κνωψ· θηρίον Hes. (i. q. κνώψ, κινώπ-ετον?).

λῐ-λα-ί-ο-μαι (λι-λασ-jo-μαι), R. *las*, cf. scr. *lâ-las-a* desiderans. λί-αν (ῐ) fortasse e λι-λα-ν factum est ea dissimilatione quam praebet λελίημαι (-λη-) perfectum.

Μῐ-μᾱ-(λ)λόν-ες (?) Βάκχαι βοήδρομοι et Μί-μας (-αντος, cf. Γίγας) Centauri nomen Pott KZ. 7, 254 putat ejus radicis esse cujus μέ-μα-α. — Cf. Μαί-μα-λος nomen et montis et viri (μαιμάω)?

Μι-μαλ-ίς· ἡ νῦν Μῆλος. — Με-μβλ-ίς· Μῆλος ἡ νῆσος Hes.

μῐ-μαίκυλον (μεμαίκυλον) arbutum, μιμ-αίκυλον Benf. W. I, 219 haud apte esse vult.

μί-μαρκυς i. q. λαγωοῦ χορδή.

μι-μά-ξ-ασα· χρεμετίσασα Hes. non corrigendum fuit M. Schmidtio, v. μιμίζω (p. 285).

μῑ-μέ-ο-μαι (μῖ-μο-ς) imitari, R. με (μέ-τρον) C. Nr. 461.

μι-μν-άζετε· μίμνετε. μένετε Hes., v. μίμνω, de quo infra.

νί-ννη i. q. νάννη p. 285.

σι-σύρ-α, -να, -νον, -ος i. q. σύρα, συρία; σίσυς? v. Lob. prol. 280.

Σῑ-συφ-ος cf. σέσυφος p. 324.

τῐ-ταίν-ω (ἐ-τί-τηνα) i. q. τείνω, R. ταν, cf. τέτανος p. 324.

τί-τανος· ὄρος Θετταλίας. καὶ κονία, ἄσβεστος. οἱ δέ τι γύψου εἶδος. Hes. cf. τέτανος p. 324.

Eorum quae subjungimus duplicatio praesentis tantum systematis est:

βῐ-βάς, βί-βα-μι, βιβῶ C. Verb. I, 152, scr. *gi-gâ-mi*.

βῐ-βά-σ-θ-ων e R. *βα* (*βιβάς*), *θ* consona determinativa accrevit, *σ* autem ad *ἐγνώσθην* aoristi similitudinem accessit; de *βα-δ* enim radice (*βαδ-ίζω*) non erit qui cogitet.

βῐ-βρώ-σκω, R. *βορ* e *γϝορ* ((*g*)*vor-are*) orta, cf. *gur-g-es* (dupl. infr.), *γαργαρίζειν* p. 291.

γί-γνομαι collato scr. *ǵa-ǵan-mi* videtur e *γι-γνε-μαι* metathesi prodiisse *ε* ad vocalis thematicae ritum mutato. Eandem metathesin praeter ea quae in *σκω* desinunt praebet *ἴ-πτα-μαι*, fortasse *μίμνω πίπτω*. — *gi-gno* an *gi-gn-o? Γίγας* v. p. 325.

γι-γνώ-σκω (*γνώ-σκω κατὰ Ἠπειρώτας* Et. Orion. 42, 17) R. *γνω gno-sco.*

δί-δη-μι (*ῐ*) i. q. *δέ-ω.*

δῐ-δρά-σκω, R. *δρα*, scr. *drâ-mi.* — v. p. 279 not.

δι-δύ-σκω (*ἐν-*) legitur apud Josephum, LXX, N. T. vi causativa (*ἐνδύω*).

δί-δω-μι (*ῐ*), scr. *da-dâ-mi*, R. *δο.* — *διδώσομεν ν* 358, *διδώσειν ω* 314, quae Aristarchus corrigere voluit, duplicationem in futuri stirpem pertulerunt, cf. *τιθήσεσθαι.*

δί-ζη-μαι, unde *δίζω*, R. *ζη* (*ζη-τέω*, scr. *jâ* ire) cf. C. Verb. I, 153. Quod verbum dubito an in perfectis potius habendum sit: nam *ι* vocalis in prima syllaba usurpatae similitudinem praebet *ἀμφ-ῐ-αχυῖα* perfectum, quod legitur *B* 316 *τὴν δ' ἐλελιξάμενος πτέρυγος λάβεν ἀμφιαχυῖαν*, cujus forma quidem perfecti est, vis autem praesentis (cf. *κέκριγα μέμυκα λελειχμότες* (Hes. th. 826), *πεπότημαι* etc.). Quare cur syllaba prima correpta sit non est dubium; praesentis (*ἰάχω*) enim duplicatio in ejusmodi perfecto intensivo valuit. Quod idem fortasse *δίζημαι* passum est, cujus *η* vocali perfecti forma indicatur (*κεῖμαι ἧμαι* quorum stirpes sunt monosyllabae vereor ut apte conferantur, *διζήμενος* cf. *ἀκαχήμενος ἀλαλήμενος ἐσσύμενος*), et cum *jâ* radicis eundi sit vis, vim intensivam investigandi puto apertam esse. — *δί-ζη-μαι* e *δί-δjη-μαι* prodiit, quare *φέ-ψαλ-ος* nominis duplicatio (p. 320) non veram praebet similitudinem. — *διζήσομαι* cf. *διδώσω* (an *κεκράξομαι*?).

ἰ-άσκειν· ἄγειν Hes. est *ἰ-αγ-σκειν* (C. Verb. I, 280) duplicatum perinde ac *ἰαλλω* rell. p. 325.

ἵ-η-μι (ῐ̄) mittere, R. *ἑ*, scr. *jâ* ire, v. C. Verb. I, 153.

ἵ-πτα-μαι (Pr. Ipf.) post Aristotelem (sed *ἀφίπτατο* Eur. Iph. Aul. 1608) usurpatur pro *πέτομαι*, aor. *ἐ-πτά-μην*, quod duplicatum (*πι-πτα-μαι*) idem passum est ac *ἕψω* e *πεψω* natum (C.[4] 698).

ἴ-σκ-ον, R. *σεκ*, cf. *ἔν-νεπ-ε* = *ἐν-σεπ-ε*, *in-sec-e*, e *σι-σκ-ον*, *σι-σεκ-ον* prodiit eodem modo quo

ἴ-σχ-ον, R. *σεχ* (*σχή-σω ἕξω ἔ-σχ-ον*) e *σι-σχ-ον* ortum est, cf. *ὑπ-ι-σχ-νέ-ομαι* et *ἰ-σχ-άνω*, *-ανάω*.

ἵ-στη-μι, R. *στα* (*sta-re*), *ἱ-στά-ναι*.

κῐ-κλαίει· καλεῖ Hes.

κῐ-κλά-σκω: *κατ-ε- κί-κλα-σκε· κατέκλα* Phot.

κῐ-κλή-σκω, scr. *ka-kar-mi*, i. q. *καλ-έω*, *cal-are*.

κί-χρη-μι, *κι-χρά-ω* (ῐ) mutuum dare. — *κίχρησις* Tzetz., cf. *διδώσω τιθήσομαι*.

μι-μνή-σκω R. *μεν μέν-ος me-mn-i*.

μί-μν-ω i. q. *μέν-ω*, *man-ere*, cf. *μέ-μν-ων· ὄνος* Hes., *μι-μν-άζω* id.

πῐ-πί-σκω πῑσω ἔπῑσα, R. *πι*.

πῐ-πρά-σκω R. *παρ πρα*, *πέρ-νη-μι*, scr. *pâra-jâmi*.

πῑ-πτ-ω, aor. dor. *ἔ-πετ-ον*, part. pr. *πῖπτον* ψ 120, de quo non recte dixit Misteli KZ. 19, 110, cf. p. 329.

πι-φαύ-σκω (ῐ̄), i. e. *πι-φάϝ-σκω*, cf. *φάϝ-ος*.

πί-φρη-μι (Arist. hist. an. V p. 5416, 11) = *φέρω*, cf. scr. *bibhar-mi*. Eandem metathesin praebet *ἔκφρηται· ἐκ-φέρεται* Hesychianum.

τί-θημι (ῐ), scr. *da-dhâ-mi*, R. *θε*. — *τιθήσομαι* (Hippocrat.), cf. *διδώσω*, *κίχρησις*.

τί-τρη-μι, *τι-τρά-ω* (ῐ), i. q. *τετραίνω* p. 324.

τῐ-τρώ-σκω, R. *τορ* (*ἔ-τορ-εν*) = *τρα*.

τῐ-τύσκομαι (*τι-τυχ-σκο-μαι*, cf. *ἔ-τυχ-ον*), p. 279 not.

De eis, quae prioris syllabae vocalem productam praebent, mox dicam.

H.

βα-βύρτας· ὁ παράμωρος Hes. Lobeckius El. I, 166 recte contulit cum latino *baburrus* stultus, *baburra* stultitia (Gloss. Placidi), *burrae* nugae. Si recte F.[2] 475 stirpem quandam *barso* statuit [cf. *re-burrus* hispidus (*ἀνάσιλλος* Gloss. Labb.) et *βέῤῥον· δασύ* Hes.] intelligitur, cur prior syllaba *α* vocalem exhibeat.

δε-δίσκομαι (ο 150) *δει-δίσκομαι* salutare, *δε-δίσκομαι δε-δίσσομαι δει-δίσσομαι* terrere, duplicationem praebent perfecto similem; v. p. 300 et cf. *τέττιξ: τιτίζω, κέ-σκι-ον* R. *σκι*.

κύ-κλ-ος (i. e. *κυ-κυλ-ος*), circus, R. *κυρ*, *κυλ* C. Nr. 81, cf. *κυρ-τός, κυλ-λός, cur-vus*. — *κο-κρύνδ-ακοι· κυλλοί* Hes.? (*κυρ* : *κρυνδ* = *κυλ* : *κυλινδ*?).

κύ-κν-ος (i. e. *κυ-κυν-ος*), cygnus, R. *καν* (*καν-άζω*) scr. *kvan* (cf. got. *han-a*, palaeog. *huon*), sonum edere.

ὀ-αρ-ίζω confabulari fortasse e *ϝα-ϝαρ-ιζω* ortum est (R. *ϝερ, ἐρ-έ-ω, ver-bum*, got. *vaur-d*, C. Nr. 493), *ϝ* autem *α* consonam mutavit.

Pag. 302 monuimus esse voces nonnullas duplicatas, quarum prior syllaba *ι* vocalem productam praebeat: *κῑ-κυ-ς, πῑ-πί-ζ-ω, τῑ-τί-ζ-ω*. Quibus e duplicationis imminutae finibus haec accedunt: *ἵ-η-μι, λί-αν* (ῐ), *μῑ-μέ-ο-μαι, πί-πτ-ω* (ῑ), *πι-φαύ-σκω* (ῑ̆), *Σί-συφ-ος* (*Τῑ-θωνός*? *Τί-τυρος*?). Cf. scr. *tap* causat. *tî-tap*, *klîp* causat. *kî-klîp*, *gar* (*gir*, vorare) causat. *gî-gar*, *man* (cogitare, *me-min-i*) *mî-mâṅs-a* philosophia, et palaeogerm. *vî-valtrâ*, med. aet. *fî-falter*, *fei-falter* (got. verb. *falthan*, nunc *Falter*); *wî-wint* (i. q. *Wind*) got. *vaian* (*wehen*), ni haec e duplicatione gotica praeteriti simili (**fai-falthrei*, **vaivinds*) orta sunt, cf. p. 306. — Quo studio *ι* producendi factum est ut *ἵημι* raro apud Homerum, saepe apud poetas atticos primam syllabam productam praeberet utque Hesiodus sibi concederet th. 209 Titanum nomen a verbo

τιταίνειν deducere: τοὺς δὲ πατὴρ Τιτῆνας ἐπίκλησιν καλέεσκε παῖδας νεικείων μέγας Οὐρανὸς, οὓς τέκεν αὐτός· φάσκε δὲ τιταίνοντας ἀτασθαλίῃ μέγα ῥέξαι ἔργον κτλ.

Quibus subjungimus pauca quae e perfectorum stirpibus coorta sunt, vim simul perfectorum retinentia:

βέ-βη-λος profanum („betreten"), e βεβα perfecti stirpe ortum vi passiva, et βέβα-ι-ος, quod esse παρὰ τὸ βέβηκα jam intellexit Herodianus ad Ε 64.

κε-κρύφ-αλος (Ψ 469), quod grammatici antiqui a κρύπτω derivant melius quam Lob. El. I, 165 a κορυφή (cf. quod idem valet καλύπτρη), videtur ad perfectorum intensivorum similitudinem factum esse. De φ consona cf. κρύφ-α (nam perfecta aspirata ab Homero aliena sunt).

λελέγια· κόχλακες, ἢ κοχλώδεις τόποι Hes. conchae coacervatae? Λέλεγες fortasse sunt λελεγμένοι, selecti vel collecti (Αἰολεῖς).

ἐγρηγορόων ἐγρηγορτί Hom., ἐγρήγορσις Hippocr., ἐγρηγορικός Aristot., ἐγρήγορος Byz., -ότως Plut. ἐγρηγόρσιος Pherecr., -ρησις Byz. — Etiam e perfectis intensivis (praesentium vi praeditis) nomina nonnulla orta sunt: κέκραγμα, -γμός, -κτης (cf. κεκραγήσει· κραυγάσει Hes.), γεγήθησις, πεποίθησις etc.

CAPUT II. DE DUPLICATIONE SUFFIXA.

§. 4. DE DUPLICATIONE INVERSA.

Ἠρύκ-ακ-ον ἠν-ίπ-απ-ον aoristorum duplicationem διπλασιασμὸν κατὰ μέσον vocat E. M. 431, 54. Cum radicis duplicatae altera syllaba sit levior et attenuata, neque tamen infracta, praestat hoc genus latine dicere suffixum attenuatum vel (cum Lobeckio El. I, 162) inversum. Quod genus a reliquis vocibus duplicatis non prorsus sejunctum est:

δεν-δίλ-λ-ω enim (R. *δελ*) eandem vocalis attenuationem praebet quam scr. *kar-kir* (R. *kar, kir*) *dar-dir* (R. *dar*). Praeter aoristos autem illos una tantum vox hanc duplicationem praebet non dubiam:

ὀπ-ιπ-ης (ῑ) (cf. *ὀπ-ωπ-ή* supra), cujus duplicatio eadem est ac desiderativi sanscr. *at-it-ish-ja-ti* all., quae falso interpretatus est Benf. Vollst. Gramm. §. 186. — Quae vox non extat nisi in compositis (*γυναικοπίπης, παιδοπίπης, παρθενοπίπης πυῤῥοπίπης*) et in verbo *ὀπ-ῑπ-εύω* (-*τ-εύω*, -*ευτήρ*). Ad *πίπας, πιπάω* (Arcad., Hes.) fingenda aditum composita fortasse praebuere. Vocalis productae rationem p. 329 exposuimus. — Dubia autem sunt haec:

ἀτ-ῐτ-άλλω, nutrire, duplicatum *ἀτάλλω*, quod *N* 27 quidem significat *ἐσκίρτα καὶ ἔχαιρεν*, hymn. Merc. 400 autem id quod *ἀτιτάλλω*. Id autem redit ad *ἀταλός*, cf. Hes. op. 131 *παῖς παρὰ μητέρι κεδνῇ ἐτρέφετ᾽ ἀτάλλων*. Eo autem quod exhibet Hesychius *ἐτίταλλον ἔτρεφον* non indicatur radix *ταλ*, ut vult Hainebachius p. 19, neque omissum est *α* ad *κωχεύω πιπάω* verborum similitudinem, sed *ἠτίταλλον* scribendum est.

ὀν-ίν-η-μι (ῐ), juvare, hujus duplicationis esse censuit Benfey W. I, 335. Fickius autem[2] 108 statuit radicem *na(n)d*, gaudere, *d* consona amissa vel non accepta: p. 1023 enim et *na-d* et *na-m* (*νέμ-εσθαι*) radices e *na* quadam profluxisse contendit. At quod ait determinatas esse omnes quae in consonam cadant radices non probavit, nec protulit quo monstraret unius stirpis esse radices illas. Id solum novimus, radicem *ὀνα* (*ὠνά-μην*) duplicatam esse *ὀνινα* (C.[4] p. 715).

Subjungimus aoristos:

ἠν-ίπ-απ-ον (ῑ), R. *ἰπ* (C. Nr. 632), *ἴπ-τ-ομαι* nocere, *ἰπ-ό-ω* premere, lat. *ic-o*. Mirae duplicationis causa est quod praeter *ἰπ* radix extabat *jaπ* [*ἰπ* : *jaπ* = *ic-o* : *jac-io*] cf. *ἰάπτω*, unde perspicitur et qui forma illa nasci potuerit (*ἐν-jaπ-απ-ον*) et cur *ι* vocalis producta sit (cf. *ῖπ-ος, ἐν-ῖπ-ή*). — Id quod vocem praecedit *ἐν-* est prae-

positio, quam duplicatam praebet *ἐν-έν-ῑπ-ον*[15]), cf. scr. *âv-avadhîr-am,* aor. verbi *ava-dhîr,* despicere.

ἠρύκ-ακ-ον est aoristus verbi *ἐρύκ-ω,* cujus R. *ἐρυ-κ* consona determinativa crevit ex *ἐρυ* (*ἐρύ-ω*). Unde profectum est *ἐρυκ-ακ-εῖν* (cf. *δαι-δύσσεσθαι, βα-βύρτας*) posteriore tantum radicis parte repetita, cujus rei alterum exemplum non extat in lingua graeca, multa autem in semiticis (Pott, Doppelung 127): nisi praestat proficisci a R. *ϝερ-κ* determinata, quae *υ* insertum accepit (cf. R. *καλ καλύ-π-τ-ω*).

§. 5. DE DUPLICATIONE INFRACTA.

A duplicationis inversae paucis exemplis differt alterum genus duplicationis suffixae, quod infractum vocavimus. Extant enim radices nonnullae, velut *gug*, *garg*, quae ab aliis synonymis (*gu, gar*) eo tantum differunt, quod in fine aucta sunt eadem consona quam in initio praebent. Quas puto ita ortas esse, ut radices breviores duplicatae (*gu-gu*, *gar-gar*), postquam in unam quasi novam radicem coaluerint (*gugu*, *gargar*), a fine mutilae evaderent (*gug*, *garg*) eo tempore quo radices ipsae verborum loco usu venire nondum desiverant.

Nam ea quam nuper protulit Windisch KZ. 21, 395 de his vocabulis sententia vereor ut probari possit. Putat enim *garg* (scr. *garǵ*) radicem non prodiisse e *gar-gar*, sed e *gar-ga* : *ga* autem esse radicem primitivam *r* consona determinativa nondum auctam. Similiter *ga-gar* perfectum et perfecta reliqua non attenuatam praebere priorem syllabam, sed non auctam tantum; itaque et *ga-gar* et *gar-ga* esse *ga* et *ga-r* radices *compositas.* Cui rationi ingeniose inventae — si me decet laudare virum praeceptorem — videtur obstare, quod consonae determinativae non fuerunt additamenta omni significandi vi destituta, sed magni

---

[15]) a quo differt *προπροκυλινδόμενος* *χ* 221.

in radice *determinanda* momenti: *ga-r* et *ga-d* e *ga* profluae quamvis cognatae, haud quaquam ejusdem potestatis fuerunt. Nec puto auctorem hujus sententiae eo progressurum esse, ut licuisse putet *gar-gad* quoque componendo conjungere (cf. quae de verborum radicibus componendis diximus p. 296). Similiter autem mihi videtur statuendum esse de *ga* et *gar*: radix consona determinativa aucta vim a matre diversam accepit, quare non licuit ambas conjungere ad alterius vim augendam[16]. Qua in re me non fugit interdum satis leve discrimen inter radicem breviorem et ampliorem intercedere.

Priusquam diligentius in eam rem inquisivi persuasum habebam, *πόρ-π-η μορ-μ-ώ γορ-γ-ός* rell., *pal-p-are gre-g-es*[17]) *cir-c-us for-f-ex vol-v-o*, germ. *mal-m-en dul-d-en* eodem fere modo quo *ἐρύκ-ακ-ον* orta esse: studio quodam commoditatis. Sed duo sunt quae mihi ipse objeci. Primum est quod non in lingua Graeca sola, sed in reliquis quoque ejusdem stirpis linguis haec duplicationis ratio invenitur. Quare studium illud duplicationis *indicandae* tantum, quod oriri nequivit nisi inscii fuerunt loquentes propriae duplicationis naturae, in ipsis illis linguis sejunctis ortum esse deberet. Alterum est quod eae radices quae in vocalem exeunt repugnant. **gug-ati* (scr. *gunģ-ati*, cf. *γογγ-ύζει*) si e **gu-ati* (cf. scr. *gav-ati, γο-ᾷ*) ortum esset ejusmodi duplicatione, non intelligeretur qui fieri potuisset ut R. *gug* in lingua graeca et sanscrita nasali intenderetur, vel ut R. *kuk* (i. e. *ku-k*) augeretur (cf. p. 336): *kauk.* Ejus generis radicibus imprimis probatur monas quaedam nova duplicatione orta. Quis autem putet *gu-g* alio modo quam *gar-g* ortum esse? Accedit quod ex hujus generis radicibus prorsus diversa nonnunquam in diversis linguis nomina et verba

---

[16]) Radicis *nam* formae intensivae *nam-na-tê, a-nam-na-ta,* quae leguntur in libris Rig-Vedae, videntur e *nam-nam-* ortae esse, cf. *nam-namîti, namnamâna* R. V.

[17]) Cf. Varr. L. L. 5, 11: Graguli ab eo quod gregatim est, *ut quidam Graeci greges gergera*, v. p. 291 et cf. scr. *gar-gar-a* = *gṙr-g-es.*

fluxerunt: scr. *gung-ati,* gr. *γογγ-ύζει.* Quae terminationum diversitas non intelligitur nisi veram quandam radicem *gug* (*gung*) jam indogermanicae linguae fuisse statuimus. Denique lex illa syllabarum servandarum quam linguae primaevae propriam fuisse novimus, videtur non adeo valuisse ut aliam quandam ejusdem linguae legem irritam redderet: ne qua sit radix nisi unius syllabae, qua lege lingua indogermanica imprimis distincta est a multis aliis. Nam postquam loquentes senserunt *gugu gargar* duplicatas (quarum vis aucta fuit et fortasse paullulum mutata, cf. *gar γῆρ-υς*, *garǵ* mugire) novas esse monadas reliquis radicibus similes, eas ita reddiderunt, ut in fine infringerent, in qua parte vocabula indogermanica et crescere et infringi solent. Ceterum sit venia si in eorum quae enumerabo nonnullis nimium videar periclitatus. Nam quamvis parvus sit ejusmodi vocabulorum in lingua graeca numerus, nemo hucusque in ea inquisivit. — Videtur autem concedendum esse, in graeca quoque lingua similia oriri potuisse praesertim e radicibus in vocales exeuntibus (cf. *ἔκιξαν λάλος πῖπος*).

A.

βαμβαίνω. — *βα-βά-ζ-ω* duplicatum, non, ut Fickius vult ex *βαβ* radice ortum esse elucet ex Hipponacteo *ἐμβιβάξαντες* (fr. 53 B.). E *ba-ba* autem prodiit *bab,* quam radicem praebet lat. *bab-ulus, bab-uris,* et nasali auctam[18]) lit. *bamb-eti* murmurare, et, ut videtur, *βαμβ-αίνειν.* Duarum enim interpretationum quas praebet Hesychius: *τρέμειν τοῖς ποσὶν, ἢ τοὺς ὀδόντας,* altera sola quadrat in Bionis 4, 9: *βαμβαίνει μοι γλῶσσα,* cf. *Κ* 375 *ὁ δ᾽ ἔστη τάρβησέν τε βαμβαίνων· ἄραβος δὲ διὰ στόμα γίγνετ᾽ ὀδόντων,* ubi recte

[18]) Utrum ea ratione quam commemoravi p. 298 nasalis accesserit, an ea quam praebet gr. *ὄμφ-η* coll. *ἔπ-ος, στρόμβος στρέφω, λύγξ Λυγκεύς λεύσσω, ἴαμβος ἰάπτω* all., non habeo qui dijudicem, quamvis posterius veri multo sit similius.

judicavit scholiasta: *οὐκ ἔγκειται τὸ βαίνειν.* — *βαμβ-άλ(λ)ειν· τρέμειν. ψοφεῖν τοῖς χείλεσι. βαμβ-αλύζει* (*βαμβ-ακύζω* (?) Hipp. fr. 17 Bergk)· *τρέμει. τοὺς ὀδόντας συγκρούει. ῥιγοῖ σφόδρα* Hes. — *βομβ-έω* (onomatopoeia ortum?) huc cum Fickio referre non ausim.

βαύβυκες. — *bu* est vocem quandam edere, cf. *βο-ᾶν*, cujus est *βύ-ας, βύ-ζ-α, bû-tio(n).* E *bu-bu* autem duplicato progressum est *bub*, lat. *bûb-o*, lit. *bub-lys, baub-lys* i. q. butio, et gr. *βαύβ-υκες· πελεκᾶνες* Hes.

γαγγαίνω (?). Quamvis radix nulla extet *ga* = ridere vel sonum edere, tamen rad. sanscr. **gań* videtur duplicatione orta esse, cf. radd. *ga-d ga-p ga-r* (F. 1027). Unde *gańg-a* contemptus, *gańg-ana* spernens, quo redeunt *γαγγαίνειν· τὸ μετὰ γέλωτος προσπαίζειν. ἀνα-γαγγ-ανεύουσι· ἀναβοῶσιν* Hes.

γογγύζω. — *gu* (*gav-atê*) est rad. sanscrita vocem significans (ved. intens. *gô-gu* praedicare, posterioris linguae *gan-gu*), cf. *γοᾶν*. E qua duplicata *gu-gu* ortum est *gug*, nasali auctum *gung*, scr. *gunǵ* mugire: quam radicem graecum *γογγ-ύζω* praebet e *γυγγ-υζω* dissimilatione ortum, cf. *ὑλ-υλ ὀλ-υλ ὀλ-ολ-ύς ὀλολύζω; ὀτοτοῖ ὀτοτύζω.*

καγκαλέος (?). Radicis *ku καϝ* (*καῦ-μα*) antiquior forma *κα* Fickio[2] 1062 probatur collatis latino *cal-idus* (R. *ca-l*?), got. *heit-o* febris, palaeog. *hizza*, lit. *kait-inu* calefacio (*t* determinat.?); lit. *kur-iù* calefacio, got. *haur-i* carbo (*car-bo* cf. *tur-bo*?). De vocalium vicibus vid. F.[2] 943. *καγκαλέος* autem adjectivi partem priorem esse *καγκ* apparet collatis *πολυ-καγκ-ής* adj. et *καγκ-ομένης· ξηρᾶς* Hes. (v. p. 311). Eodem autem pertinent *κάγκ-ανος* et *καγκαίνει· θάλπει. ξηραίνει* Hes. — His quidem non multum proficitur; unum autem liceat monere: ne quis credat *καγκ* e *καγ-καϝ* duplicato et ea quam negamus (p. 309 sqq.) nasali instructo oriri potuisse ad duplicationis infractae similitudinem. Nam qui tale quid fieri posse existimat, fortasse etiam faciet cum Benfejo W. I, 205, qui *πέμπ-ω* sic interpretatus est: *πελ* (*pel-lere*) *πελ-πελ πεμ-πελ πεμ-π* —

βαμβαίνω: *βαλ* (*bal-b-us*) *βαλ-βαλ* *βαμ-βαλ* *βαμ-β*! Quis autem erit qui credat radicem ita mutilari potuisse (et quam primaevis temporibus!), ut universa ejus natura mutaretur omneque primordii vestigium evanesceret!

καγχάζω. — Ejusdem onomatopoeiae cujus *κακκάζειν* *κακάβη* p. 283 fortasse fuit R. *ka-ka* (ridentis?), e qua *kak* ortum est [ni praestat cum Fickio p. 973 statuere radicem *ka*, quae delitescit in radicibus *ka-n* (*καν-άζω* *κόν-αβος* *can-o*, scr. *kan-kanî* tintinnabulum; cf. *ga* *gan*) et *ka-t* (scr. *katth-atê* = *κωτ-ίλλειν*, F². 29)]. E *kak* autem aspiratione prodiit et scr. *kakkh-a-ti*, lat. *cach-innari* et graec. *καχ-ασμός* Ar. Nub. 1073, *κακχ-άζει· ἀτάκτως γελᾷ*, *καχνάζει· κακχ-άζει* Hes., unde *καγχ-άζειν* nasalis metathesi. — Eodem redeunt *καγχ-ᾶται· γελᾷ ἀτάκτως* et *καγχ-αλᾶν· χαίρειν, γελᾶν* Hes., quae nasalem insertam acceperunt.

καυκαλίας. — Radicem *ku* (*κυ*) nobis suppeditavit *κω-κύ-ω* p. 301; e *ku-ku* autem ortum est *kuk*, scr. *kuk* *kâuk-ati* sonum edere, lit. *kauk-ti* ululare. Eodem refero id quod Hesychius praebet *κυκ-ῶν· ταράσσων, ἀναζέων. θρηνῶν* et *κυκ-οῦντος· θρηνοῦντος*. Praeterea autem ejusdem radicis est lit. *kauk-alė*, avis quaedam (F.² 47). Quod cum ortum sit e **kauk-alja*, prorsus idem est ac *καυκ-αλίας· ὄρνις ποιός* Hes. — Etiam scr. *kôk-ilas*, cuculus, huc spectat, a qua voce tamen non recedunt quae contulimus p. 284. — (*καυχ-άομαι* cf. palaeog. *huoh-on*, nunc *höhnen*? F. l. l.)

κήξ εἰναλίη (cornix marina) *ο* 479 non e *κήυξ* contractum est, sed videtur potius cum *kâ-ka* cornicis nomine sanscrito conferendum esse, cf. *κακκάζω* p. 283.

ἔκιξαν. — Radicis *ki* (*κί-ω* *κί-νυ-ται* = scr. *çi-nu-tê*, lat. *ci-tus*), ire, duplicatione prodiit *κικ*, cujus vis est causativa (depulerunt) apud Aristoph. Ach. 869: *τἄνθεια τᾶς γλάχωνος ἀπέκιξαν χαμαί*, et Anthol. 14, 27 in carmine dorico: *ἔκιξε. (τὸ ᾠὸν) φῦλ' ἐς βροτῶν*. De *ἐπικίκοι δραμέσι* Simonideo (?) (Anecd. Oxon. III, 254) cf. Buttm. Gramm. I², 193 not. *κίξαντες· ἐλθόντες. πορευθέντες* Hes. videtur eodem pertinere.

λάλος. — Syllaba *la* repetita garruli vel balbutientis vocem (scr. *lalallâ*) imitamur. Quod *lala* exhibet λαλά-ζ-ω, *lallâ-re* et reliqua quae attulimus p. 285. Unde fluxit λαλ, cf. λάλ-ος, λαλ-εῖν, lit. *lal-óti*, germ. *lall-en*.

πῖπος. — p. 286 collatis σπί-ζ-ω σπί-νος et πῖ-πί-ζ-ω *pî-pi-are pî-pi-o(n)*, scr. *pi-(p)pî-ka* (de prioris syllabae vocali producta cf. p. 329) radicem statuimus duplicatam πι-πι. Brevior autem ejus forma est πῖπ, cujus sunt πῖπ-ος, πίπ-ρα (ἡ, cf. αἰσχ-ρό-ς ψυχ-ρό-ς), πιπ-ώ, πιπ-αλίς (i. q. χαλκίς Hes.), πιφ-αλλίς· ἡ πίφ-ιγξ Hes., e latinis autem *pip-are, pip-ilare, pip-ulus;* lit. *pëp-ala* coturnix, scr. *pipp-aka pipp-ala* avium nomina.

πυππ-άζειν est edere vocem πυπ (πύππ-αξ), quam liceat in duplicatis referre collato ποππύ-ζ-ειν p. 286.

τιτθός. — E radice *dha*, felare (θῆ-σθαι, θῆ-λυς, *fe-lare, fe-mina*) prodiit *dhadh, dadh*, cf. scr. *dadh-i, dadh-an* (*dadha-n*? cf. boruss. *dadan*, F.^{2} 98) *lac*, τήθ-η avia, τηθ-ίς matertera, τίτθ-ος mamma, τίτθ-η nutrix, quorum varias terminationes non habent qui interpretentur qui duplicationem praefixam statuunt (C. Nr. 307). Antiquissimam autem formam *dhadh* servavit lingua gotica ut semper: *dadd-jan* felare. Etiam τιθός τιθ-ασός, cicur, huc pertinent[19]).

φέβ-ομαι. — Collatis scr. *bi-bhê-mi* et palaeog. *bi-bê-n bi-bi-nôn* radicem duplicatam reperimus *bhi-bhi* timere (scr. *bhi* timere, *bhaj-as* timor). Quare G. Curtius Gr. Nr. 409 suspicatus est φέβ-ομαι e φε-βι-ο-μαι ortum esse dissimilata aspirata altera prius quam aspiratae tenues ortae sint (cf. φέρβω infra et p. 319). Sed restant impedimenta duo: alterum quod statuitur radicis *bhi* vocalem evanuisse relicta vocali ad perfectorum (δείδω i. e. δεδιω, κέ-σκιον) ritum attenuata (scr. *ba-bhûv-a* πε-φυ-α), natura autem radicis prorsus deleta, alterum quod ea vocalis at-

---

[19]) Similiter e rad. *dhu* (θύω) prodiit *dudh*, quod praebent sanscrita *dudh-i dudh-ra* ferox, *dudh-ita dodh-at* part.

tenuata rursus augetur: *φόβ-ος, φοβ-έω, φοβ-ερός*. Quam ob rem fortasse praestat Fickii (p. 974. 1075) sententiam amplecti antiquiorem radicis formam *bha* statuentis (cf. scr. causat. *bhâ-payâmi* et quae ille p. 946 sqq. exposuit). Qua in re ni falsus est, optime intelligitur origo radicis *φαβ*, ad quam redit *φάψ* (*φᾰβ*) palumbes (cf. *τρήρων* et *πολυτρήρων*) et *φάβα· μέγας φόβος* Hes.

B.

Addimus radices quae in consonas exeunt, omittemus autem voces omnes, de quarum origine nihil omnino elucet, velut *βαλβ-ίς, βάρβ-ιτον, γελγ-ίς, γύργ-αθος* etc.

βλαβ-υρία. — i. q. *βαρ-βαρ-ίζειν* p. 290 est *βαρ-βακ-ίζειν* (utroque verbo E. M. interpretatur *βαρκά-ζειν* glossam), radix autem duplicata mutila, cf. lat. *bal-b-us*, unde metathesi lit. *bleb-eris* et gr. *βλαβ-υρίαν· εἰκαιολογίαν* Hes.

βολ-β-ός ejusdem radicis est cujus lett. *bum-bul-s*, lat. *bul-b-us*, quam simplicem servavit palaeog. *polla*, med. aet. *bolle*, angl. *bowl*.

βόλ-β-ιτον, stercus boum, quo Phrynichus p. 357 Lob. *βόλιτον εὐδοκιμώτερον* esse dicit, cum apud scriptores nonnullos (Theophr., Hippocr., all., cf. Lob. l. l.) legatur dubium esse nequit. Nec peccavit Benf. W. II, 304 *βολβός* conferendo.

γορ-γ-ός, formidolosus, quamvis R. *γορ-γορ* requiratur, tamen quin item ac *μορ-μ-ώ* (infra) duplicatum sit non dubito. Quod idem censuit F.[2] 60, eo tamen, ut videtur, a vero devius, quod scr. *garǵ* mugire cum illo comparavit. Haec enim radix eodem modo duplicata (v. *γαρ-γαρ-ής* p. 291) significatione prorsus discrepat, cum voci graecae nihil sit cum clamore: *γοργὸς ἰδεῖν, γοργὸν βλέπειν, ἵππος γοργούμενος* (ardens), *γοργόλοφος* rell., praesertim autem ipsa *Γοργὼ βλοσυρῶπις Λ* 36, *Γοργοῦς ὄμματα Θ* 349, *Γοργείη κεφαλὴ δεινοῖο πελώρου Ε* 741.

Δάρ-δ-ανος (?), Iove genitus, a quo Hector genus duxit, cujus nomen fuit *Δαρεῖος* Hesychio teste: *Δαρεῖος ὑπὸ Περσῶν ὁ φρόνιμος, ὑπὸ δὲ Φρυγῶν ἕκτωρ.* Nomen non graecum huc non rettulissem ni eadem radix extare videretur in lingua graeca (cf. *Δάρ-ης* Tros et Phryx): *Δέρ-δ-ας* Macedo Arrhidaei filius (R. zend. *dar* tenere, tueri).

δαρ-δ-ῶσαι (?)· *ῥῖψαι* (*ῥῆξαι*?), *σπαράξαι, ταράξαι* Hes. si mendo caret, videtur esse radicis *dar-dar*, de qua diximus s. v. *δαρδάπτω* supra (p. 296).

ἐλ-ύ-ω in praéstantissimis hujus duplicationis exemplis est. R. enim est *ϝελ*, scr. *var*, unde *var-v, var-u* duplicatione infracta, quam jam vidit Buttm. Lexil. II², 147 not. Cf. lat. *vol-v-o, vol-u-tare, vol-u-men,* got. *val-v-jan* = *ϝελ-ύ-ω*; scr. *var-u-tram* = *ϝέλ-υ-τρον.* E digammate etiam verborum *ἀλ-ο-άω ὀλ-ο-οί-τροχος* media *o* vocalis orta est, quae illi simillimum sonat sequentibus vocalibus: *Κόιντος Ὀαλέριος.*

καρ-κ-ίνος. — De radice *καρ* (durum esse, cf. *κάρ-νον, car-ina, κάρκαρος κάρχαρος* p. 291) supra diximus. Quam duplicatam praebent etiam scr. *kar-k-a* cancer, *κάρ-χ-αι· καρ-κ-ίνοι. καὶ* (*κ*)*όχλοι. Σικελοί καρ-χ-ῶδες· τραχύ. κέρ-χ-ανα ἢ κερ-χ-άνεα* (?)· *ὀστέα. καὶ ῥίζαι ὀδόντων* (cf. *κάρχαρ-οι· οἱ ἔσχατοι ὀδόντες, τραχεῖς τε καὶ ὀξεῖς*) Hes. — *κέρ-χ-νος* durus, duritas, *κέρ-χ-νω* i. q. *τραχύνω.* — Fortasse *καρχ-αλέος* quoque (p. 291) melius huc rettulissem.

κίρ-κ-ος. — Radicis *κυρ, κυλ,* cujus *κύκλος* p. 329, antiquiorem formam *καρ καλ* praebet *καλ-ινδέω,* scr. *ka-kr-a* circus. Praeterea autem radix quaedam *krak*, nasali aucta *krank* elucet ex his: scr. *çṛnkh-ala* cingulum, catena, ags. *hlenc-a*, palaeoscand. *hleck-r* catena (cf. tamen ags. *hlanc* macer), palaeoslov. *krąg-u* circus (F.² 48): nasalis enim effecit ut consona tenuis in mediam mutaretur (cf. *patere*: *pandere*); cf. lat. *cling-ere* cingere Fest., palaeog. *hrinc, hring,* quam ob causam lingua recens quoque mediam consonam servavit: *ring, kring-el.* Eodem autem refero *κρίκ-ος* et

κίρκ-ος, cf. Hes. *κρίκος· κίρκος* et *κίρκοι· κρίκοι. ἁρπάγαι. καὶ πάντα τὰ ἐπικαμπῆ κίρκοι λέγονται*, cf. *κρίκ-α· κρίκον* id. (nom. *κρίξ?*), nec non lat. *cir-c-us* et *κέρ-κ-ος* cauda. Quibus omnibus statuimus radicem *kar-k*, *kra-k* duplicatam: nam quamquam *ka* suffixum esse potest in vocibus graecis et latinis (praeter *cling-ere*), tamen ita tantum intelligitur quae ratio intercedat inter voces graecas et germanicas.

κολοκ-ύντη. — Nomen quoddam *kalk-ą* „Wulst" statuit Fickius „Die Indogermanen Europa's" p. 78, collatis lat. *culc-ita*, lit. *kulk-à* globus, scr. *kûrk-a* fasciculus, culcita; eodem optime quadrat *κολοκύντη*, cucurbita, et si statuimus radicem *kar, kal* rotundum esse (scr. *ḱakra* rota, *κύ-κλ-ος*), etiam palaeoslov. *po-klęc-ati* curvari (F. ib. 230).

κολοσσός. — Inter eam radicem *κολ*, quam praebent *κολ-ωνός κολ-οφών* — *κορ-υφή*, lat. *cel-sus ex-cel-lo col-umna cul-men col-lis* et *κολοσσός* rationem quandam intercedere suspicatus est C. Grundz.[4] 152. Quam rationem fortasse duplicatio praebet: *kark* enim radix cognoscitur collatis reliquis quae huc redeunt: scr. *karç* macrescere, *kṛç-as* macer, gracilis, priscae linguae (Fest.) *crac-entes* graciles (quod idem e *crac-* ortum est), ags. *hlanc* gracilis, macer, graec. *κολεκ-άνος*, *κολοκ-άνος* macer (*κολοσσός* = *κολοκ-jος*). De ea quam radix graeca praebet vocali inserta cf. C. Grundz.[4] 720. — Utrum *κρόσσαι* sint *ἄκραι, στεφάναι τῶν πύργων* an *κλίμακες* (quod voluit Aristarchus, cf. Lehrs[2] 225) non dijudico[20]): utraque autem vis una cum forma huc optime quadrat. — Cf. *κολοκ-ώνας· τὰς βαλβῖδάς τινες* Hes.

κρίκε (— *δὲ ζύγον Π* 480) qui ortum sit e *κρίζω* ut volunt lexicographi non perspicitur. Videtur autem res expediri hunc in modum. *kar* (*kal*) radicem complures linguae praebent: scr. *ḱa-kar-mi* laudo, *καλ-έω, cal-are*, pal.-germ.

---

[20]) Videtur autem elucere ex Herodot. 2, 125, ubi *στεφάνας* solas intelligere licet.

hal-ôn, *hol-ôn*, cujus non vocandi sola est vis: germ. med. aet. *hille hall* (nunc *hallen*), *κάρ-α-βος* (cod. *-γος*)· *τραχὺς ψόφος οἷον πριόνων* Hes., *κόρ-αξ*, *κορ-ώνη*, *κόρ-α-φος* (cf. *ἐλ-αφός*)· *ποιὸς ὄρνις* Hes. Cujus radicis formas integre duplicatas v. supra s. vv. *καρκαίρειν κορκόρας κορκορυγή*; infractae autem duplicationis *kar-k* haec sunt:

1. *kark krak*: scr. *krak-aka* serra (cf. *κάραβος*), lit. *krak-ti* strepere, pal.-slov. *krak-ati* crocire, got. *hlah-jan* = scr. *kark-ati* ridere, scr. *kraksh* strepere, pal.-germ. *chrach-ôn* (nunc *krachen*). Nasali crevit lit. *krank-ti* crocire (F.[2] 48).

2. *κρεκ* e *krak* prodiit: *κρέκ-ειν* (*βοὴν πτεροῖς* Aristoph.), *κρεκο-* (*κερκο-*)*λύρα* cf. scr. *kar-kar-i* lyra, *κερκ-άς*· *κρέξ τὸ ὄρνεον*, *κρέκ-ς*, *κέρκ-αξ*· *ἱέραξ*, *κερκ-νός*· *ἱέραξ. ἢ ἀλεκτρυών*, *κερκ-ίς*· .... *καὶ εἶδος ὄρνιθος*, *κέρκ-ος*· ... *ἢ ἀλεκτρυών* Hes. Eodem videtur redire *querqu-edula* (cf. *mon-edula*) = *κερκ-ιθαλίς*· *ἐρωδιός* (Hes.).

3. E *κρεκ* autem illud *κρικ* ortum est quod praebet *κρίκε* aoristus (eadem vi qua germ. *chrach-ôn*), et *κιρκ* e *κερκ*: *κίρκ-ος* i. q. *κέρκ-αξ* (*ἱέραξ*).

4. *κραγ*, quod praebent *κράζω ἔκραγον κέκραγα κραγέτης* et *κραγόν*· *κραυγήν*, *κράγον*· *βόημα* (*-ήθημα* cod.) Hes., cf. *κραγὸν* (Dind., *κράγον* Bergk) *κεκράξεται* Ar. Eqq. 487, e *krak* ortum est ut *τήγ-ανον* e *τήκ-ω* (cf. Curt. Gr.[4] 522 sqq.), sed non in lingua graeca sola: pal.-scandin. *hark* strepitus. Nasali auctum est *κραγγ-ών*· *κίσσα* Hes., ags. (*hring-an*) *hrang* (angl. *ring*, *rang*). Praeterea autem *ρ* in *λ* transiit: *κλαγ-εῖν* (aor.) Hes., *κλάζω κέκληγ-α*, pal.-scand. *hlakka* clamare, crocire, nasali addita *κλάγξω ἔκλαγξα κεκλάγξομαι κλαγγή* *clang-ere clang-or*.

5. Inde ortum est **kreg*, cf. lit. *kleg-eti* i. q. scr. *kark-ati* ridere. — Pal.-germ. *chrek-ên* etiam scribitur *chreg-ên kre-k-ên*, quare non licet linguae germ. eandem radicis formam tribuere.

6. Hinc autem licet ad *κρίζω* redire, nam quae ratio intercedat inter *κρίκ-ε* et *κριγ-jω κέ-κριγ-α κρίξαι* neminem nunc latebit. *κριγ-ή* noctua (v. Bergkium ad

Hippon. fr. 54). — Nasalem praebet ags. *hring-an*, qua *g* consona servata est.

7. Vocalium vice haud ita rara e *krak* ortum est etiam *kruk* (cf. *γλάφ-ω γλύφ-ω*, C. Gr.[4] 59, F.[2] 943 sqq.), scr. *kruç krôç-ati*, lit. *krauk-ti* crocire, pal.-ger. *hruoh* graculus, nasali auctum lit. *krunk-tereti* crocire (F.[2] 50). Inde autem

8. *κρυγ* ortum est jam antiquissimis temporibus: *κραυγ-ή* = scr. *krôç-a*, *κραυγ-ός· δρυοκολάπτου εἶδος, μεμηκώς· κε-κραυγ-ώς* Hes., cf. got. *hruk-jan* crocire, *hruk-s* crocitus. Nasali accepta *g* servavit pal.-scand. *hraung* strepitus.

9. Et *crôc*, quod lingua lat. praebet: *crôc-io, crôc-îtus,* et *κλωκ* (*κλώσσω* Suid. s. v. *φωλάς*) e *krâk* prodierunt (cf. *ῥήγνυμι ῥώξ*, scr. *vâkam* = *vôcem*). Nam etsi *crôcio* e *cruc* (*crauc*) oriri potuit (*Claudius Clodius*), *ω* ex *υ* non factum est nisi in radicis fine: *ju-s ζω-μός* i. e. *ζοϝ-μος*. Eandem quam *κλώσσω λ* consonam praebet scr. *klôça* (R. V.) e *krôça* ortum.

10. *κρωγ*: *κρώζω κρωγμός, κλωγ*: *κλώζω κλωγμός.*

11. At non in fine solo radicis, sed ab initio quoque media consona facta est e tenui: *grac-ulus* i. q. *ἱέραξ* (?); *grac-illo.*

12. *γρυκ*: *γραυκ-άλας· ὄρνις τεφρός* Hes., fortasse *γρύξαι· ἠρέμα κράξαι, ἠρέμα φθέγξασθαι, ἢ ὑλακτῆσαι* id., quod videtur a *γρύζω* = *γρῦ λέγω* sejunctum esse.

13. *grôc-o, glôc-io, gloc-toro.* Quae radicis forma a lingua graeca aliena est, nam de *γλῶσσα* vix puto quemquam cogitare.

14. Quo Pindarus usus est fr. 75 B. *μέλος γλάζεις* haud dubium est quin sit idem quod *κλάζεις*. Cf. *γλάζει· πτερύσσεται, κέκραγε* Hes., quo etiamsi recte *γλαγγ-άζει* (cf. *κλαγγ-ή*) scribitur (M. S.) tamen R. *γλαγ* e *κλαγ* proflua indicatur. Ut *serra* et *lyra* ultimi significationum sunt fines, ita *krak* et *γλαγ* formarum.

Hae igitur sunt *kar-k* radicis formae variatae:

kark krak krank, κερκ κρεκ, κιρκ κρικ;
κραγ κραγγ κλαγ κλαγγ, kleg, κριγ kring;
kruk kluk krunk; κρυγ krung;

crôc κλωκ; κρωγ κλωγ;
grac; γρυκ; *grôc glôc*;
γλαγ (γλαγγ?).

Eodem fortasse redit scr. *kharģ* (= *kraģ*) „knarren, vom Wagen“, unde *kharģ-alâ* noctua.

μ ο ρ - μ - ώ. — Radicem μορ [μολ, cf. μωλ-υκτική (μολ-?)· φοβερά Hes.] duplicatam praebent μορ-μορ-ύττειν, μορ-μολ-ύττειν p. 294, et μόρ-μ-οι· φόβοι κενοί. μύρ-μ-ος· φόβος. μορ-μ-όνας· πλάνητας δαίμονας Hes. Accedunt autem μόρ-μ-η· χαλεπή. ἐκπληκτική. μορ-μ-ύνει· δεινοποιεῖ. μορ-μ-ύσσεσθαι· ἐμβριμᾶσθαι id. — Μορ-μ-ώ larva, metathesi μ ο μ β ρ - ώ· ἡ μορμώ. καὶ φόβηθρον, assimilatum μομμώ· ὃ ἡμεῖς μορμώ φαμεν Hes.

μ ύ ρ - μ - η ξ, μύρ-μ-ος, μυρ-μ-ηδών, si sunt radicis cujusdam μυρ, quod suadent lingg. zend.: *maoir-i*, palaeoscand.: *maur*, palaeoslov.: *mrav-ij*, kymr.: *myr* (C. Nr. 482), videntur duplicata esse. Cf. μύρ-ιοι, μ υ ρ - ί ο ι (Μυρ-μ-ιδόνες i. q. Αἰολεῖς?).

π ο λ φ ό ς (?). — Collatis *puls* (*pult-is*) πολτ-ός et *pulp-a pulp-us* a πολφός significatione haud multum diversis fortasse eruitur R. πολ (πελ, πλε plenum esse? cf. *po-pul-us, am-plu-s*, πολ-ύς, πελλίς = *pel-vis*) duplicata.

π ό ρ - π - η ad radicem περ, perforare, pertinet, quae inest in πε-παρ-μένος, περ-όνη. E qua duplicatione infracta πόρ-π-η factum est, cujus alterum π aliter explicari non potest. — Idem valet πορ-π-ίς (Hes. s. v. ἄλλικα post ἀλλόδημα).

τ η λ - ε - θ - ά ω (?) i. q. θάλλω, nisi prodiit e θηλεταω, ut vult Bekker, hom. Bl. I, 222, duplicatam est.

ψ η λ - α - φ - ά ω est id quod *pal-p-are*[21]), ψηλ-ά-φ-η-μα i. q. *pal-p-âmen*, quorum radix, quam praebet ψάλ-λω, videtur fuisse *spal*, cf. palaeog. *spil-ôn* (C. Gr.[4] 720).

---

[21]) Cf. autem μηλαφάω (μήλη, ἁφή?) et φλῆ-φο-ς· φλύαρος Hes., φλη-νό-ς id. E. M., φλή-να-φος id., unde φληναφάω.

Nunc ubi ad finem perventum est redeamus ad ea quae p. 1 adversus Gerlandum diximus defendenda. Nam in libro eo cujus mentionem supra fecimus vir doctus de duplicatione indogermanica haec statuit (p. 43): „wir haben es hier (in vocibus eis duplicatis quas complures linguae una exhibent) nicht mit intensivis, die den verstärkten gedanken, sondern mit iterativis, die das verstärkte gefühl (!) bezeichnen, zu thun: wirkliche intensiva haben sich erst nach der sprachtrennung entwickelt, und zwar an verschiedenen puncten des indogermanischen gebiets und nach verschiedener art.“ Quare Gerlando auctore ea tantum quae paragrapho secunda amplexi sumus intensiva genuina vocare licet (Gerl. p. 180 sqq.), reliqua autem quorum vis intensiva est in lingua graeca, ex iterativis prodierunt (id. p. 49 sqq.). Quod cur statuat Gerlandus plane non docuit; tria autem, si recte eum intellexi, videntur esse quae eum commoverunt.

Primum quod linguae sanscritae peculiaris quaedam ratio est verba intensiva fingendi (*lê- lih-*, cf. p. 300 supra). Alterum quod linguae graecae ea ratio propria (?) est, quam exposuimus p. 304 sqq. (*δαι-δαλ-*). Tertium quod linguarum germanicarum duplicatione fere carentium in intensivis fingendis ratio est prorsus nova: *ziehen zucken*, *schleissen schlitzen*.

Haec autem sunt quae mihi contra eum videntur monenda esse.

1) Ex eis quibus Gerlandus videtur nisus esse id solum elucet, quod linguarum sanscritae graecae germanicae sejunctarum postquam e communi sede migraverunt, crescendi aetas non desiit. Quod idem ex aliis multis rebus elucet, de quibus cf. Curt. Verb. I, 8 sqq.

2) Eis quae §. 5 exposuimus probatur, ni me fallit opinio, *gu-gu gar-gar* etc. fuisse intensiva indogermanica; nam si iterativa vis eorum fuit, *gug garg* inde oriri nequiverunt. Quis enim putet radices duplicatas vi *iterativa* praeditas in unam ejusmodi radicem coalescere potuisse,

quamvis iterativorum ea sit natura ut radix utraque vim propriam retineat, unde ipsa vis iterativa efficitur!

3) Duplicatio ea quae est in aoristi et perfecti systematis non intelligitur nisi intensiva fuit vis duplicationis, cum aoristi duplicati, qui sunt linguae graecae et sanscritae, et perfecta, quae omnium linguarum indogermanicarum fuerunt, orerentur. Cum de eis quaestionem ex hoc libello excluserimus liceat id tantum monere quod G. Curtius in libro Tempora und Modi (p. 150 sqq.) primus docuit, aoristorum duplicatorum triginta quattuor qui vulgo feruntur[22]) magnam partem vel intensivam vim praebere vel causativam ex illa ortam: quod idem in linguae sanscritae aoristis duplicatis reperitur. Multo majoris autem momenti est perfectorum duplicatio, qua radices actionis perfectae significationem acceperunt: quam vim auctiorem (cum auctius sit quam ipsum crescere id quod inde concrevit) e vi intensiva ortam esse veri simillimum est. Qua in re etiam respicienda sunt perfecto-praesentia intensiva: *κέκραγα πεπότημαι προβέβουλα* etc., quorum magnus est numerus in lingua graeca (undequinquaginta collegimus praetermissis dubiis multis), quae quomodo expediat Gerlandus vereor ut habeat.

4) Vis causativa duplicationis cum sit linguae sanscritae graecae latinae videtur linguae indogermanicae fuisse: quae vis e vi intensiva prodiit.

---

[22]) Accedunt *δέδακε* (*δάκνω*) Anth. 12, 15; *ἐκέκραγον* (ipf.? cf. *ἐκέκραξα*) LXX; *πεπαγοίην* quod ex Eupolide affert Schol. Ξ 241 (cf. Buttm. A. Gr. II², 273); *τετορεῖν* e *τετορήσω* futuro (i. q. clamabo, Ar. Pax 381 *τετορήσω ταῦτα λαὶ λακήσομαι*) depromere licet (cf. *κεκαδών κεκαδήσω, πεπιθών πεπιθήσω, πεφιδόμην πεφιδήσομαι*) etiamsi missa facimus *ἐτέτορεν* (cod. -*ρορ*-)· *ἐτρύπησεν. τέτορεν· ἔτρωσεν. τετορεῖν* (cod. -*είη*)· *τρῶσαι* (cod. -*ει*) Hesychiana. — *πεπορεῖν· δοῦναι* Hes. ad Pind. Pyth. II, 57 redit, ubi libri meliores *πεπαρεῖν* praebent; cf. *πεπαρεύσιμον εὔφραστον, σαφές* Hes.

CONSPECTUS HUJUS COMMENTATIONIS.

Paginarum numeri sunt Studiorum a Curtio editorum voluminis VI.

VITA.

Natus Lipsiae die sexto mensis Nov. a. CIƆIƆCCCLI patre Ioanne Godofredo matre Agnete e gente Reiz, ad annum usque aetatis XVIII discipulus interfui Gymnasio Universali Lipsiensi quod tum florebat Maurici Zille patrui auspiciis, quem virum dilectissimum lugemus praematura morte nobis ereptum. Gymnasii ad St. Thomam testimonio maturitatis accepto mense Sept. a. CIƆIƆCCCLXIX, in Universitate Lipsiensi philologiae operam dedi, institutione usus virorum illustrium Brockhaus Curtius Drobisch Eckstein Lange Ritschl Strümpell Voigt Windisch Wuttke Zarncke, quibus optime de me meritis gratias reddo quam maximas, imprimis eis qui societatis antiquariae (L. Lange) grammaticae G. Curtius) philologae (F. Ritschl) participem me esse siverunt. Seminario philologico regio per biennium interfui socius ordinarius, eisdem viris usus praesidibus benevolis.

